



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

Theodoriti Episcopi Cyri Ecclesiasticae Historiae Liber Quartus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

THEODORITI EPISCOPI CYRI ECCLE- SIASTICAE HISTORIAE

Liber Quartus.

De Iouiani imperio & pietate. CAP. I.



Ost interfectum Iulianum, duces vnâ cum præfectis in vnum coacti, iniuere cõsilium quis ad regedum imperiũ deligendus esset, & quis tum ad militum saluti in hostili solo sapientia & consilio prouidendum, tum ad recreandum statum reip. Rom. in acie nouaculæ, vt dicitur, ob Iuliani iam mortui temeritatem positum, maxime idoneus videretur. A quibus dum de hac re deliberatum erat, exercitus in vnum congregatus, Iouianum postulat imperatorem, qui neque dux, neque ex eorum numero, qui secundas post duces obtinebant, fuerat, sed tamen vir apprime nobilis, illustris, & multarum rerum causa insignis. Nam corpore robustissimo fuit, animo que excelso: quinetiã in bello gerendo solebat & in acrioribus certaminibus faciliè primas ferre. Porro contra impietatem liberè loquebatur, tyranni potentiam contemnebat, animi propensione cum seruatoris martyribus coniungebatur. Itaque duces consensum exercitus, velut suffragationem diuinã arbitrati, producunt in mediũ præstantissimũ illũ virum, celerrimè primũ fuggesto cõstructo, in eo collocant. Deinde cũ omnes nomina, quæ sunt imperatorum propria ei tribuissent, & Augustum ac Cæsarem appellassent, vir ille admirabilis sua consueta loquendi vsus libertate, & neque magistratus, neque milites, vt ad deteriorem partem deflecterent, omnino veritus, non possum, inquit, cum sim Christianus, eiusmodi hominibus imperare, neque regere Iuliani exercitũ, qui tam pestiferæ doctrinæ præceptis imbutus sit. Nam qui sunt ita
instituti

instituti, hi diuina destituti prouidentia, tū ab hostibus facile expugnari, tum eisdem materiam ad lætitiā præbere solent. Quibus verbis auditis, milites cōclamare vno ore, ac dicere. Ne animus tibi, ò imperator, vlla æstuet dubitatione, neque nostri imperium tanquā improbum deuites. Nam & Christianis hominibus, & disciplina veræ pietatis educatis imperabis: Siquidem, qui sunt inter nos ætate proeuctiore, hi à Constantino eruditi erant: qui autem adolescentiores, illi præceptis Constantii instruebantur. Tempus certè imperii Iuliani, qui iam morte occubuerit, vt perexiguū, ita non satis ad erroris pernitiā in animis eorum qui eadē infecti erant, altius infigendam, fuit.

De sancti Athanasii reditu. CAP. II.

HAc militum oratione vehementer delectatus imperator, concilium deinceps in de salute reip. & quo modo exercitum hostili è regione possit incolumen reducere. Verū non tam multo egebat consilio, quippe cū fructus ex pietatis seminibus perceptus, ei subsidio esset. Nam extemplo rerum vniuersarum gubernator Deus, se ilius curam suscepisse declarauit, & dubitationē, in qua versari videbatur, penitus ei sustulit. Etenim rex Persarum, simul vt intellexit eum creatum imperatorē, primum legatos de pace ad illū mittit: deinde imperat cibaria militibus eius deferri, & res ad victum necessarias venales in solitudinē exponi. Itaque pacto ad triginta annorū spatium fœdere, Iouianus exercitum iam confirmatum & robustum hostili è regione eduxit. Vt primum autem in sui imperii fines ingressus est, primum sancit legem, quæ iubebat omnes episcopos ab exilio reuerti, & ecclesias illis, qui fidei formulam in concilio Nicæno aditam inuiolatam seruauerant, restitui. Scripsit porro literas ad Athanasium illum egregiū huius doctrinæ propugnatorē, ab eoq; flagitauit, vt accuratā de sacrosancta fide doctrinā sibi conscriberet. Ille igitur illustriorib⁹ episcopis in vnū cōuocatis, rescripsit ad Iouianū, hortatusq; est, vt formulā fidei in cōcilio Nicæno factā seruet, vtpote quæ doctrinæ apostolicæ penitus cōsentiret. Athanasii autē & reliquorū episcoporū epistolā ad legentium vtilitatē hoc in loco inserere operepretiū putauit.

THEODOR. HISTOR.

*Epistola Synodica de fide, à sancto Athanasio
ad Iouianum Imperatorem scripta.*

CAP. III.

*Religiosissimo, & Clementissimo Victori, August.
Iouiano, Athanasius, & reliqui Episcopi, qui
nomine omnium Aegypti, Thebaidis, & Li-
byæ episcoporum in vnum conuenerunt. S.*

Rerum cœlestium teneri desyderio, & earum perdiscē-
darum studio duci, pium imperatorē cum primis de-
cet. Nam eo pacto cor habebis reuera in manu Dei
positum, & imperium pacatē ac tranquillē ad multorū an-
norum curricula administrabis. Et quoniam tua pietas fidē
ecclesiæ catholicæ à nobis cupit discere, domino ea de re
gratiis actis, nihil consultius nobis visum est, quàm vt
te de fide in concilio Nicæno communi patrum consen-
su confirmata, in memoriam redigeremus. Nam nonnul-
li, ista reiecta, tum nobis, quòd sectam Arianam sequi
nolebamus, varias struxerunt insidias, tum hereses & schis-
mata in ecclesiam catholicam inuexerunt. Cæterum ve-
ra ac pia in dominum nostrum Iesum Christum fides om-
nibus patefacta est, atque ex sacris literis satis cognita re-
cognitaque. Nam in ista sancti martyres mortem oppeti-
uere, & iam cum domino domicilium habent. Quæ qui-
dem fides perpetuò mansisset inuiolata, nisi quorundam he-
reticorum nequitia eam peruertere temerē laborasset. Nam
Arius, & eius fautores hanc labefactare, & impietatē in eius
locū introducere studuerunt: dixerūtq; filiū Dei ex nihilo
ortum esse, creaturam esse, factū esse, mutabilem esse, atque
multos hoc errore cæcarunt: adeò vt hi, etiā qui in aliquo
numero habendi videbantur, eorum blasphemia à veritate
pariter abducerētur. Itaq; sancti patres nostri, quò huic ma-
lo obsisterent, ad concilium Nicænum, vt supra diximus,
conuenientes, hæresi Arianæ anathema denūciarunt: fidēq;
ecclesiæ catholicæ scriptis ratam fecerunt, ad eum planè fi-
nem, vt hac vbiq; diuulgata, erroris incendium ab hæ-
reticis excitatum, prorsus extingueretur. Ita que hæc fides
passim

passim in omnibus ecclesiis syncere & lecta & predicata fu-
 it. Verum nonnulli, quoniam habebant in animo hæresim
 Arianam renouare, hanc fidem à patribus in concilio Ni-
 cæno confirmatam antiquare non sunt veriti: alii verò simu-
 lant se eidem assentiri illi quidem, sed re ipsa pernegant,
 dum hanc vocem $\delta\mu\omega\upsilon\sigma\iota\sigma\mu$ peruerse interpretantur:
 iidemque isti in spiritum sanctum loquuntur blasphemiam.
 Nam eum creatum esse & factum per filium asserunt. Nos
 igitur cum ex tali blasphemia non exiguam perniciem po-
 pulo allatam fore videremus, dabamus operam necessario,
 uti fides in concilio Nicæno roborata, tuæ pietati traderet,
 quò ipse intelligas, tum quàm accuratè ea descripta sit, tum
 quanto in errore versentur hi, qui fidè contrariam doceant.
 Nam pro certo scias, velimus August. Sanctissime, hanc
 ipsam ab omni sæculorum memoria prædicatam fuisse. Hanc
 confirmarunt sancti patres Nicææ coacti: huic omnes ubiq;
 ecclesiæ assensæ sunt, ut Hispaniæ, Britaniæ, Galliæ, Italiæ
 totius, Dalmatiæ, Mysiæ, Macedoniæ, & cunctæ Græciæ, &
 omnes ecclesiæ Africæ, Sardinia, Cypri, Crete, Pamphylie
 Lyciæ, Isauriæ, & ecclesiæ Aegypti, Lybiæ, Ponti, Cappa-
 dociæ, & regionum finitimarum ecclesiæ, Orientis deniq;
 ecclesiæ, exceptis paucis, qui sectæ fauent Ariana. Nā istarum
 omnium re ipsa exploratè cognitam habemus sententiam,
 literasque ab illis accepimus, proq; certo scimus, August.
 Sanctissime, quòd quamuis pauci huic fidei contradicant,
 non tamè præiudiciū inde potest orbi terræ fieri vniuerso.
 Nam isti diu contagione hæresis Arianae infecti, studio iam
 acriore veritati resistunt. Atque tamen tua pietas fidem à
 trecentis decè & octo episcopis in concilio Nicæno cõfir-
 matam noscat, nos tamen dedimus operam, ut à nobis eam
 accuratè intelligat, & propterea infra subiunximus: quæ ita
 se habet. Credimus in vnum Deum patrem omnipoten-
 tem, omnium visibilium & inuisibilium effectorem: Et
 in vnum dominum Iesum Christum, filium Dei, genitum
 à patre vnigenitum, hoc est ex patris substantia, Deum de deo,
 lumen de lumine, Deum verum de deo vero, genitum nõ factum,
 consubstantialè patri: per quæ omnia facta sunt, quæ in celo
 & quæ in terra: qui propter nos homines, & propter nostram
 salutem descendit de celo, incarnatus est, homo factus est,

THEODOR. HISTOR.

passus est, resurrexit tertia die, ascendit ad caelos, venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in spiritum sanctum. Illis autem, qui dicunt tempus fuisse, cum filius Dei non erat, & non ante fuisse, quam nasceretur, & ex nihilo ortum esse, & ex alia subsistentia vel substantia, quam patris constare. vel creatum esse, vel posse conuerti mutariue, sancta, catholica, & apostolica Ecclesia indicit anathema. In hac fide, sancti August. tanquam diuina & apostolica perseuerandum est necessario, neque probabilitate sermonis, pugnacive oratione eam inuertere cuiquam tentandum: quod amentes Ariani semper factitarunt: dixeruntque filium Dei ex nihilo ortum esse, tempus fuisse, cum non erat, conditum esse, factum esse, mutabilem esse. Nam ob hanc causam, uti antea dictum est, concilium Nicenum eiusmodi errori denuntiavit anathema, & veram fidem communi consensu confirmavit. Non enim simpliciter patres illi filium dixere patri similem, ne simpliciter similis Deo, non autem de Deo Deus verus crederent, sed scriptis asseuerarunt consubstantialé esse patri: quod est proprium ingenui & veri filii ex vero & natura patre geniti. Quinetiam neque spiritum sanctum a patre & filio separarunt, sed ei vna cum patre & filio in vna sanctae trinitatis fide, propterea quod vna est in sancta trinitate diuinitas, gloriam tribuerunt.

De restituta Ecclesis annona, & imperatoris morte. CAP. IIII.

HAc perlecta epistola, tum cognitio imperatoris, quam de rebus diuinis imbiberat, confirmata est, tum amor eius erga easdem magis coepit exardescere. Itaque concipit legem, quae iubebat frumenti congiarium, quod Constantinus magnus ecclesiis donauerat, eisdem reddi. Nam Iulianus, qui contra Deum ac seruatorem nostrum bellum suscepit, illud vetuerat dari. At quoniam fames ex Iuliana impietate in rempublicam illata, obstabat, quo minus totum congiarium, quod Constantinus largitus fuerat, in ecclesias conferretur, idcirco Iouianus tertiam partem solum id temporis praebere mandat: pollicetur quae fame sedata, integrum congiarium donatum iri. Atque primordius imperii sui eiusmodi

eiufmodi legibus illustratis, decedit Antiochia, & ad Bosphorum cōtendit. Dadaſtanæ verò (is pagus eſt in finibus Bithyniæ & Galatiæ ſitus) è vita migravit: qui tametſi ipſe maximo præclariffimoque viatico inſtructus, iter ad cælum ingreſſus eſt, tamen illis, qui ſuaues eius mores, dignos planè imperatore, deguſtauerant, non exiguum mœrorem reliquit. Arbitror equidem huius vniuerſitatis moderatorem Deum, quò noſtram improbitatem acrius coerceat, primùm nobis ſuppeditare bona, deinde nos eiſdem denuò ſpoliare: atque altero quidem docere, quam facilè poſſit, ea, quæ vult, præbere, altero autem nos coarguere, velut eiufmodi beneficia parum promerentes, & eo pacto ad vitam rectius honeſtiusque ſiue inſtituendam impellere.

De Valentiniani imperio, & quomodo fratrem ſuum Valentem in imperij ſocietatem adſciuerit.

CAPVT V.

QVo quidem tempore milites, repentina morte imperatoris cognita, cum vita defunctum, vt patrem luxerunt: atque Valentinianum illum, qui manu adiutum percuſſerat, fueratque in caſtellum amandatus, crearunt imperatorem: virum non fortitudine ſolum, verum etiam prudentia, temperantia, iuſtitia, & corporis proceritate præſtantè. Qui animo adeò excelfo fuit & verè regio, vt cum exercitus conſortè imperii ei conaretur adiungere, illud, quod omnibus in ore eſt, fertur dixiſſe: In veſtra manu poſitum erat, milites, cum imperator non eram, mihi imperii gubernacula tribuere: verùm cum iam ea ſuſceperim, non veſtrarum partium, ſed mearum ſolum eſt de cetero communi reip. adminiſtrationi conſilio & ſapientia prouidere. Quæ eius verba tum admirati milites, tum amplexati, ſe ad eius nutum & voluntatem accommodarunt. Ille, fratre de Pœonia accerſito, qui nòdum opinionum & doctrinæ varietate ab eo diſcrepabat, conſortem imperii (quod vtinà nunquam feciſſet) designauit. Cui Aſiæ & Aegypti tradidit dominatum, ſibi que Europæ adminiſtrationem reſeruauit. Atque in occidentem proſectus, illius regionis

THEODOR. HISTOR.

præclaris instruxit legibus, exordiumque à veræ pietatis prædicatione cepit. Nam cum Auxentius, Ecclesiæ Mediolanensis episcopus, labe Ariana infectus, & in multis cõciliis abdicatus, e vita exiuisset, Imperator iste, accersitis ad se episcopis, sic apud eos verba facit. Est vobis, vtpote sacris & diuinis literis institutis exploratè cognitum, qualis debeat esse is, qui sit ad episcopatum gerendum delectus: & quòd necesse sit gregem suum non doctrina solum, verum etiam præclara viuendi ratione moderari, & se cuiusq; virtutis exemplar ei præbere, suæque disciplinæ rectam vitæ & morum institutionem testem habere. Quare hominẽ ita instructum in sede & gradu episcopali iam collocare, vti & nos, à quibus hoc gubernatur imperium, ei verè & ex animo capita inclinemus, & illius reprehensionem (nam cum simus homines, errore labi necesse est) velut medicinã animorum cupidè amplexemur.

De Ambrosii Mediolanensis Episcopi ordinatione. CAP. VI.

HAc oratione ab Imperatore habita, Conciliũ Episcoporum contendit ab eo, vti ipse, vtpote sapientiæ & pietatis insignibus præclare exornatus, episcopũ deligat. At ille, maior est, inquit, hæc prouincia, quã quæ viribus nostris sustineri possit. Proinde vos diuina repleti gratia, & illius splendore illuminati, multò melius hoc episcopi deligendi negociũ transigetis. Illi igitur egressi, separatim per se de eo deliberare cœperũt: ciuitatis autem habitatores inter ipsos dissidere, quorum alij hunc, illum alij deligere contendebant. Nam qui errore Auxentij erant imbuti, hi suæ opinionis fautoribus suffragati sunt: qui autem à partibus sanæ & synceræ doctrinæ stabant, illi rursus episcopum secum de fide consentientem habere laborarunt. Hac diffensione cognita, Ambrosius vrbis præfectus, veritus ne quid nouarum rerum molirentur, propere ad Ecclesiam contendit. Illi, seditione cõpressa, vno ore omnes postulãnt, vti Ambrosius, qui adhuc sacris baptismi mysterijs nõ erat initiatus, ipsis designetur episcopus. Qua re audita, Imperator iubet illum egregium virum extemplo & initiari mysterijs, & episcopum ordinari. Nouerat enim mentem

mentem eius omni perpendiculo rectiorem esse, & sententias eius quaque regula exquisitiores. Atque coniectura ex consensu eorum, qui dissentientem sectabantur doctrinam, ducta, suffragationem illam diuinitus factitatum arbitratus est. Postea verò quàm Ambrosius diuinum sacrosancti baptismatis munus adeptus erat, & gratiam episcopalem receperat, dicitur Imperator longe præstantissimus (nam rebus his gestis intererat) hymnum ad gratias seruatori ac domino agendas recitasse, his ferè verbis. Gratia sit tibi, domine omnipotens, & seruator noster, quòd cum ipse corpora huic viro commississem, tu etiam animas ei commendaisti: indeque declarasti meam iustam fuisse sententiã. Paucis post diebus, cum Diuus Ambrosius valde liberè apud Imperatorem verba faceret, resq; nonnullas tanquam minus recte à magistratibus administratas coargueret, respondit Imperator: noui iam pridem tuam in loquendo libertatem. Qua exploratè cognita, non modo non tuæ in episcopum ordinationi restiti, verùm etiam suffragatus sum. Quare sicut diuina præscribit lex nostrorum animorum erratis medicinã facito. Ista sunt ab Imperatore & dicta Mediolani, & factitata. Porro autem cum accepisset quosdam in Asia, & Phrygia doctrinam fidei in controuersiam vocasse, Concilium in Illyrico cogi mandat: atque res decretas stabilitasque ab episcopis, qui ibi in vnum conuocati, fidem, Concilij Nicæni confirmauerant, ad eos, qui de fide inter se contendebant, misit: scripsitque ad illos quoque literas: quarum fratrem suum participem fieri voluit, eumque vti episcoporum decretis adhæresceret, cohortatus est. Citabo quoque legem, quæ & pietatem perspicuè ostendit Valentiani, & sanam itidem Valentis de religione doctrinam, quam eo tempore amplectebatur, manifesto declarat.

*Imperatoris Valentiniãni, & Valentis de
consubstantiali, ad Asianam Dio-
casim epistola.*

CAP. VII.

LL 4

Imperã-

THEODOR. HISTOR.

*Imperatores Max. semper August. Victores,
August. Valentinianus, Valens, & Grati-
anus, Episcopis diœceseos Asiana, Phrygia,
Carophrygia, Pacatiana, in Domino S.*

Vbi frequenti in concilio in Illirico coacto multum in
ytranq; partem de salutari dei verbo disceptatum e-
rat, beatissimi episcopi, trinitatem consubstantialem
esse, hoc est, patrem, & filium, & spiritum sanctum, certis ra-
tionibus ostenderunt. A qua fide ne digitum quidem, vt
aiunt, deflectentes, debito cultu religionem præpotētis re-
gis prosequuntur. Quam etiam nostra celsitudo passim præ-
dicari mandauit. Attamen non est hæc causa cur quidã di-
cant se religionem sequi imperatoris, qui hunc mundũ gu-
bernat, neglecto scilicet illius mandato, qui nobis de salu-
te nostra præcepta dat. Est enim præceptum euangelii dei
nostri, qui hanc habet velut ratam definitamq; sententiam:
Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt dei deo.

Marc. 12. Quid ergo vos dicitis episcopi, & verbi salutaris antisti-
Luc. 20. tes? Quod si vos eadem decernatis, tum certè vos mutuò
ipſi complectimini: & imperatoria celsitudine nolite abuti.
Nolite persequi veros dei ministros, quorum precibus &
bella fedantur in terra, & incursiones angelorum, qui à deo
desciuerunt, arcentur. Qui etiam orando pestiferos dæmo-
nes repellere nituntur: qui vectigalia, vt leges postulant,
pensitare non recusant: qui potestati imperatoriæ non refra-
gantur. Sed sanctè & sincerè tum mandatum præpotentis
regis, dei obseruant, tum nostris legibus obsequuntur. At
constat vos obstinatè his rebus restitisse. Nos patiétia sem-
per à principio vsque ad finem vsi sumus. Vos contra ani-
mi vestri impotentia obsecuti estis. Sed nos à vestra culpa
volumus esse vacui & puri, non aliter atque Pilatus, qui
Mat. 27 cum de Christo iam tum inter nos vitam agente haberetur,
quæstio, noluit eum interficere: & rogatus à Iudæis, vt cru-
ci affigeretur, se conuertere ad Orientem, petere aquam ma-
nibus, easque lauare cœpit, simul hæc locutus: Innocens
sum à sanguine iusti huius. Ob quam causam nostra Celsi-
tudo semper istud imperauit, ne quis persequatur, ne quis
quem

quem submergat, vocetve in inuidiã Christi agricolas, ne-
 ue procuratores summi regis exagitet, ne regnantibus nũc
 nobis nihil hinc emolumentĩ consecuti, postea vnã cum
 sceleris exhortatore in ea quæ testamenti ipsius sunt dam-
 na incurratis, id quod in Zachariæ sanguine eueniebat. Nã
 funesti illi, perinde ac pestifer dæmon, qui cædis illis soci-
 us erat, mortis supplicio traditi, adueniente cælitus rege nõ
 stro Iesu Christo disrapti perierunt.

Istud mandatum dedimus præsentibus audientibusque ea,
 quæ facta sunt, Amegetio, Ceronio, Damafo, Lampone, &
 Brintesio. Porrò ipsa acta ad vos misimus, vt intelligatis,
 quæ hoc præclarum concilium decreuerit. Nam his literis
 attexuimus decreta concilii, quæ summatim complectun-
 tur ista. Sententiam magni & orthodoxi concilii Nicani
 sequentes, confitemur filium patri consubstantialem esse.
 Neque certe ita intelligimus consubstantialem, vt quidã
 olim exponebant, qui non syncerè & ex animo concilio
 Nicano subscripserunt: neque vt alii, qui hoc tempore il-
 los appellant patres, & vim huius verbi, Consubstantialis
 tollunt, sequunturque opinionem eorum, qui tradiderunt
 per hanc vocem, Consubstantialem, nihil aliud significari,
 quàm Similem: per quam vocem filius nulli creaturæ per i-
 psam conditæ, sed soli patri similis ostenditur. Qui ista tra-
 dunt, filium Dei nihil aliud quàm creaturam eximiam esse
 impiè plane definiunt. Nos autem non aliter sentimus
 atque duo concilia, quorum alterum iam Romæ, alte-
 rum habetur in Gallia, nimirum vnã eandemq; essenti-
 am esse patris, & filii, & spiritus sancti, in tribus personis,
 hoc est in tribus perfectis, vt Græci loquũtur. ὁμοούσιος
 Confitemur item, vt est in fidei formula Niceæ edita, con-
 substantialem dei patris filium carnem sumpsisse ex sancta
 virgine, inter homines habitasse, impleuisse omnem pro no-
 bis œconomiam, nascendo, patiendo, resurgendo, & in cœ-
 los ascendendo: venturum quoque denuo, vt in die iudi-
 cii, prout quisque se gessit in vita, reddat cuique: carni vni-
 uersæ visum fore, diuinam suam demonstraturum potenti-
 am, deum, carne indutum, non hominem indutum diuini-
 tate. Illis autem, qui contraria sentiunt, anathema denunti-
 amus. Pari ratione his, qui non ingenuè dicunt anathema

THEODOR. HISTOR.

ei, qui asserit filium non ante fuisse, quàm nasceretur, sed tradit eum vi & facultate prius in patre fuisse, quàm re ipsa genitus esset, anathema denuntiamus. Nàm istud dici potest, de omnibus creaturis, quæ non semper cum deo sunt, sicut filius semper cū patre est, æterna generatione genitus. Ista de actis concilii summatim complexus est imperator. Ego verò ipsas concilii literas historiæ adiungam.

Illyrici Concilij libellus Synodicus de fide. CAP. VIII.

Episcopi Illyrici Ecclesie Dei, & Episcopis Diæceseos Asiæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, & Pacatianæ, in domino S.

CVM in vnū essemus coacti, & diu multūq; de salutari verbo disceptatum esset, tandē confirmauimus trinitatē consubstantialē esse, patrē, filium, & spiritū sanctū. De qua re consentaneū videbatur literas ad vos perscribere, nō captiosē & vafre ea, quæ ad cultū trinitatis pertinet, tradēdo, sed cū humilitate animi de illis, decernendo. Has nostras literas misimus per dilectū fratrem nostrū & collegā Elpidium presbyterū. Est quidē literis proditū non in epistola nostra manu scripta, sed in libris Seruatoris nostri Iesu Christi: Ego sum Pauli, ego verò Apollo, ego Cephæ, ego Christi. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Atq; nostra modestia his potuisset esse contenta, vt nullas omnino literas ad vos scriberet: quippe cum vestra prædicatione, qua spiritum sanctū à patre & filio separatis, tantus terror omnibus prouinciis, quæ à vobis administrātur, iniectus sit. Itaq; coacti sumus dominum & collegam nostrum Elpidium, cum literis Roma, quæ est caput imperii, ad vos mittere, vt discat, vtrū vestra prædicatione ita se habeat, an non. Nam qui opinātur trinitatē non esse consubstantialē, anathema sunt. Et si quis, cum huiusmodi communicare deprehensus sit, anathema esto. His autem, qui prædicant trinitatē consubstantialē, esse, regnum cælorum paratum est. Quare obsecramus vos, fratres,

1. Cor. 2.

, fratres, ne aliud doceatis, neue aliud opinemini, sed prædi-
 , cetis perpetuò trinitatem consubstantialé esse, quò possitis
 , hæredes regni dei fieri. Dum hac de re scriberemus ad vos,
 , commonefacti sumus vt in his nostris literis scriberemus
 , etiã de episcoporũ, collegarũ scilicet nostrorũ, institutione,
 , vt si quoquo modo fieri queat è magistratibus qui episco-
 , patu functi, probata spectataq; fide fuerunt, cooptentur, sin
 , auté tales non reperiantur, è sacerdotũ collegio. Ad eundé
 , modum tum presbyteri tum diaconi de ordine sacerdotali
 , sumantur, vt omni ex parte inculpati sint, minime verò de
 , curia aut militum ductoribus. Atque propterea non erãt
 , animus ad vos pluribus scribere, quòd vnũ omniũ nomi-
 , ne ad vos misimus, dominum & collegam nostrum Elpi-
 , dium, vt accuratè discat; vtrum vestra prædicatio ita se
 , habeat, vti à domino & collega nostro Eustathio accepi-
 , mus. De cætero, fratres, tametsi dudum in errore ver-
 , sati estis, tamen vetere homine deposito, nouum induite.
 , Atque idem ipse frater & collega noster Elpidius, docebit
 , vos veræ fidei prædicationem: nimirum quod sancta illa
 , trinitas consubstantialis est, & Deus pater cum filio, & spi-
 , ritu sancto sanctificatur, glorificatur: & quòd pater in fi-
 , lio existit, & filius in patre, vnã cum spiritu sancto in om-
 , nem æternitatem. Qua re perspicuè declarata, poterimus
 , verè confiteri sanctam trinitatem consubstantialem esse,
 , vti formula fidei olim in concilio Nicæno edita vult, quã
 , etiam patres nostri confirmarunt. Itaque hac fide prædi-
 , cata, poterimus scelesti dæmonis retia euitare. Quo repres-
 , so, copia erit cum nos per literas ad pacem conciliandã mu-
 , tuò salutandi, tũ vitã quietè tranquilleque degendi. Pro-
 , inde scripsimus ad vos, vt Arianos, qui sunt concilii sen-
 , tentia abdicati, possitis cognoscere: qui quidem neque
 , filium ex patris essentia constare, neque spiritum sanctum
 , confiteri volunt. Quorum nomina subiunximus: Poly-
 , chronius, Telemachus, Faustus, Asclepiades, Amantius,
 , Cleopater. Atque hæc quidem ad hunc modum acta sunt,
 , ad gloriam patris, & filii, & spiritus sancti in sæcula sæcu-
 , culorum, Amen. Vos ad multorum annorum curricula
 , optamus in Deo patre & filio seruatore nostro Christo, cũ
 , sancto spiritu valere plurimum.

De

Ista cura ab imperatore longe illustrissimo de doctrina apostolica suscepta fuit. Eodem tempore Audæus quidam tum genere, tum lingua Syrus, nouorum dogmatum inuentor vixit: qui iam dudum nefaria scelera parere cœperat ille quidem, sed tum oculis omnium ea subiecit. Nam primum stultè & inconsideratè intellexit illud: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: quippe deum formam habere humanam existimauit, & membri corporis circumdatum suspicatus est, neque sensum ac sententiam sacræ scripturæ omnino percepit, quæ non raro dei actionibus nomina humanorum membrorum tribuit. Et propterea, quorum ingenia res paulo subtiliores non capiunt, ad hoc modo de diuina prouidentia sentiendum perfacile inducuntur. Huic impietati alias non dissimiles opiniones adiunxit. Nam ex Manetis errore aliquid decerpens, deum omnium rerum moderatorem, neque ignis neque tenebrarum opificem esse asseruit. Verum qui eius sectam sequuntur, ista aliaque, quæ sunt de genere eodem, occultant: quos feruntur ab ecclesiasticis conuentibus propterea segregatos esse, quod pars illorum execrabile exercent fœnus, pars mulierum consuetudine, non ut lex postulat coniugii, sed nefarie impieque vtuntur. Cæterum si qui ab istis vitis sunt vacui, hi cum illis liberè communicant: & ob eam causam predicant se separatim vitam degere, sicque suorum dogmatum celant blasphemiam. Est tamen hæc simulatio plena arrogantia, & ex doctrina pharisaica plane nata. Nam accusant illi quidem ipsum animorum & corporum medicum, & quodammodo sic cum sanctis apostolis verba faciunt: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Etiam per prophetam de huiusmodi deus sic loquitur: Qui dicunt, mundus sum, ne me tangas: hic est fumus iræ meæ. Sed istorum refutare dementiam non est huius quidem temporis: Ad ea igitur quæ sequuntur, percurramus.

Marc. 2.

De Messalianorum heresi. CAP. X.

Per

PEr idem tempus Messalianorum hæresis cœpit pullulascere. Hos, qui nomen eorum in Græcum vertunt. **ΕΥΧΙΤΑΣ**, id est, precatores vocant. Habent etiam aliam appellationem ex rei effectu ductam. Nuncupantur enim **εὐθεσιασται** id est, spiritu aliquo afflati, propterea quod vim dæmonis cuiusdã in animos suos admittunt, eãque spiritus sancti præsentiam esse arbitrantur. Quorum autem mentes hæc contagio penitus infecerit, hi laborem manuum, velut vtiliosum & improbum auersantur: atque quieti se dedentes, visa somniorum, prophetias nominant. Huius hæresis principes sunt, Dadoes, Sabbas, Adelphius, Hermas, Symeones, & alii præterea, qui à communione ecclesiastica minime se separant, propterea quod diuinã escam, de qua Christus dominus sic loquitur: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, viuet in æternũ, neque prodesse cuiquam neque obesse affirmat. Porro erroris morbũ occultare nituntur, & post reprehensiones impudenter negant se eo laborare, & illis, qui in eadem sunt opinione, quam ipsi animo complectuntur, ecclesia interdicunt. Ob hanc causam Letoius ecclesiæ Melitinis episcopus, vir singulari studio erga pietatem exardescens, cum videret multa monasteria, imo verò speluncas latronum, hunc contraxisse morbum, ea incendit & lupos à grege abegit. Eodem modo præstantissimus ille Amphilocheus, vrbis primariæ Licaoniæ pastor, & moderator totius nationis, cum intellexisset eã perniciem in illa loca inuasisse, denuò repulit, & greges, quos ipse verbo pavit, illa labe eripuit. Quinetiam Flauianus, Antiochiæ episcopus, vir multorum sermone celebratus, cum accepisset hos Edeffæ ætatem agere, & suum venenum in vicinorum animos infundere, missa ad eos monachorũ turba, deduxit Antiochiam, & morbum, quem pernegabãt, extorsit ad hunc modum. Primum dixit accusatores calumniari, & mentiri testes: deinde Adelphium admodum senem, benignè vocat ad se, propè assidere iubet. Tum, quoniam, inquit, ò senex, ad longinquũ temporis spatiũ vitã perpagauimus. idcirco & natura humana, & fraudulenti dæmonũ aduersariorũ conatus nobis accuratius perspecti sunt & cogniti. Multoque etiã vsu, quæ & quanta sint dona gratiæ, edocti sumus. Isti cũ sint iuuenes, & nihil istarũ rerũ exqui
sire

THEODOR. HISTOR.

sitè norint, sermones spirituales audire vix aut ne vix quidem ferunt. Itaq; tu, quæso, dic mihi, qua ratione affirmatis, & spiritum contrarium recedere à vobis, & sancti spiritus gratiam aduentare. His verbis senex ille delinitus, venenum occultatum exprompsit vniuersum, dixitque diuini baptismatis lauacrū, his, qui eo tincti erant, nihil omnino prodesse, sed solas preces ardētes dæmonē in animis habitantē expellere. Nam singulos, qui eduntur in lucē, ex primo parente, vt naturā, ita dæmonū seruitutē traxisse. Quibus ex animis oratione expulsis, spiritū sanctū deinceps accedere, suāq; præsentia tū sensibus, tū visui ostēdere, & nō corpus solum perturbationum motibus liberare, verū etiam animū inclinatione ad deteriora profus eripere, adeo vt de cætero neque ieiunio opus sit ad corpus coercendū, neque doctrina ad refrenandam eius libidinem, & ad danda præcepta, quibus recta viuendi via incedere discat. Et qui sit huius rei compos factus, non modò à lasciuis corporis concitationibus liberum fore, verū etiam præuidere futura, & sanctam trinitatem oculis cernere. Itaque diuinus ille Flavianus, fœtido isto fonte effosso, & impiis eius riuulis patefactis, miserum senem sic affatur: O malis diebus onuste & inueterate, tuum ipsius os te coarguit, haud ego: tua labia contra te testimonium dicunt. Itaque erroris morbo relecto, Syria exacti erant illi quidem, sed in Pamphiliam profecti, eam eadem pernicie referferunt.

Quonam pacto Valens in hæresim deflexerit. CAP. XI.

IAm verò ad reliquam historiam veniam, & tempestatē, quæ multos fluctus, eosque turbulentissimos in ecclesiis excitauit, primum explanabo. Nam Valens potitus imperio, quanquam primò doctrinæ apostolicæ ornamentis decoratus, cum Gotthi Istrum traiecissent, & Thraciā popularentur, consilio inuito de colligendo exercitu, & bello contra eos suscipiendo, non putauit sibi consentaneū, vt nudus diuina gratia expeditionem faceret, sed se perfecta sacrosancti baptismatis armatura tegetet, idque præclare & sapienter admodum. postea tamen & nimia animi mollitie diffluere,

diffluere, & veritatem aperte prodere cœpit: idemque ei accidit misero, quod primo nostro parenti Adam. Nā verborū lenociniis coniugis suæ delinitus, in seruitutē datus est, & factus non captiuus solum, sed etiā muliebriū verborum fallaciis obsequens. Siquidem illa erroris Ariani laqueis ante irretita, maritum in eosdem inducere laborauit: cuius hortatu in horrendum blasphemiæ barathrum præcepit cū ea deiectus est. Eudoxius autem, qui adhuc ecclesiæ Constantinopolitanæ clauum tenebat, non vt eam rite gubernaret, sed tanquam nauem vndis obrueret, hos non modò in hunc induxit errorem, verùm etiam eidem consecrauit.

*Quomodo Episcopus qui virtute maximè
pollebant, extorres fecerit.*

CAP. XII.

Eodem tempore igitur, dum Valens sacro baptismatis initiatur mysterio, Eudoxius eum miserum obstringit iureiurando, vt in eo impio dogmate perseueret, & omnes, qui contrariæ doctrinæ adhærescunt, vbique ecclesiis exigat. Itaq; Valens relicta doctrina apostolica, hoc pacto ad partem aduersariam traductus est. Atque non longo temporis spatio interposito, cætera, quæ iusiurandum postulat, executus est. Nam Antiochena ecclesia magnū eiecit Meletium: Samosatena diuū Eusebiū: Laodicensem autē Pelagio, pastore fane egregio orbauit. Qui cum adolescens esset, duxit vxorem. Primoque nuptiarum die, in ipso nuptiali thalamo, sponsæ persuasit, vt castitatem pluris quàm concubitum æstimaret, & vt amorem fraternum pro coniunctione iugali teneret, edocuit. Verùm quanquam temperantiæ munus hoc pacto probe administravit, & alias quoque habuit virtutes huic persimiles, quæ pariter cum ea velut choros ducebant, ac propterea communi omnium consensu ad præsulatum illum ascendit, tamen splendores illos vitæ præclarè institutæ hostes veritatis minimè reueritus est, Sed tum istum in Arabiam, diuum Meletium in Armeniam, in Thraciam autē Eusebiū, qui doctrina apostolica diuulgāda permultos labores collocasset, relegauit. Iste Eusebius cū multas ecclesias pasto-

THEODOR. HISTOR.

pastoribus orbatas intellexisset, habitu militari indutus, & capite tiara operto, Syriam, Phœniciam, & Palæstinā peragravit, quò tum præsbyteros & diaconos crearet, tum alia Ecclesiastica obiret officia. Quòd si quando in Episcopos secum doctrina consentientes incidebat, eos Ecclesiis, quæ carebant pastoribus, præfecit.

De Eusebio Episcopo Samosatensi.

CAPVT XIII.

IAM verò quantam animi magnitudinem quantamque sapientiam idem Eusebius demonstrarit, cum edictum Imperatorium, quo iubebatur in Thraciam proficisci, ad eum esset perlatum, arbitror his, qui eius rei ignari sunt, pernecessarium ad cognoscendum. Sub crepusculum enim venit nuntius, qui hoc edictum afferebat: quem Eusebius tacere, & causam aduentus occultare iubet. Nam si plebs, inquit, studio pietatis educata intellexerit, te demerget in flumen, & à me certe pœnæ tuæ mortis expetentur. Hæc locutus, & vespertino precum ministerio de more perfunctus, tempore, quo somnus solet obrepere, senex solus, fide vnus famuli fretus, ex vrbe egreditur. Sequitur famulus, ceruical tantum & librum secum deportans. Cum autem ventum est ad ripas fluminis. (Nam muros vrbs præterlabebatur Euphrates) conscensa naue, iubet remiges recta trajcere Zeugma. Vbi illuxit dies, iste Zeugma appulit: Samosata querelis & luctu redundarunt. Nam eius discessu per famulum illum qui necessariis Eusebij quædam exposuerat mandata, & quinam essent eum comitaturi, qui etiam libri vnà exportandi, indicauerat, patefacto, omnes se pastore orbatum lamentabatur. Itaque frequentes per flumen nauigare quò eum quærant, cœperunt. Atque vt primum ad eum veniunt, videntque pastorem suum desideratum, conqueri, gemere, & ingentem vim lachrymarum fundere, quo persuadeant ei, vt apud ipsos maneat, & minime sinat oues lupis tradi. Verum cum persuadere nõ possent, audiuissetque eum recitantem præceptum apostoli, quò perspicuè iubemur magistratibus & potestatibus obtemperare, pars aurum, pars argentum, vestem alij, alij famulos

mulos ei offerunt, vtpote in regionem peregrinam, & longe illinc sitam profecturo. Iste autem paucis quibusdam rebus ab his, qui erant familiaritate coniunctiores, acceptis, vbi omnes tum doctrinæ, tum precationis armis communiuerat, & magnopere cohortatus fuerat, vti dogmata apostolica viriliter propugnarent, ad Istrum contendit. Illi ad urbem suam reuersi, se ipsi mutuò excitare, & luporum incursionses fortiter depellere nituntur.

De piissimo Samosatensium & Antiochi presbyteri & Euolcy Diaconi zelo.

CAP. XIII.

ATque hoc loco ardentem & sinceram eorum fidem exponam, quandoquidem iniuriam me illis facturum censerem, si ea non scriptis ad memoriam sempiternam proderetur. Postea verò quam Arriani gregem pastore longe optimo priuarant, & alterum in eius surrogant locum, nemo ex urbis incolis, vel presus ægestate, vel diuitiis affluens, famulus vel artifex, agricola vel consitor, vir vel mulier, iuuenis vel senex, ad conuentum ecclesiasticum, vt moris erat, accedere voluit, sed episcopus solus agebat: quippe nemo aut in eius venit conspectum, aut cum eo sermonem contulit, licet diceretur vitam apud eos valde modestè instituisse. Cuius rei hoc erit argumenti, quod sum iam dicturus. Cum ei in animo esset se in balneo lauare, famuli, quò ingredi cupientes prohiberent, fores balnei ocluserunt: at ille, vbi videt multitudinem pro foribus stantem, fores aperiri, & omnes audacter se in balneo vnà lauare iubet. Idem quoque præstitit in interiore balneo testudineato. Nam cum sibi lauanti multos astare cerneret, mandat vt fruantur vnà aquis calidis. Illi autem taciti consistebant. At iste eos honoris causa ita stare arbitratus, surgens ocyus, egreditur e balneo. Illi verò aquam hæreticæ nequitie contagione infectam esse rati, eam in cloacam emittunt, nouamque sibi infundi imperant. Qua re cognita, iste vrbe relicta, abiit. quippe stultitiæ, imo verò summæ dementiæ putauit esse, urbem infestam, & communem simultatem erga ipsum exercentem incolere. Quapropter vbi Eunomius (ita enim vocabatur) Samosata reliquerat, tametsi Lucium in eius locum

MM

sufficie

THEODOR. HISTOR.

sufficiebant, lupum planè, & insidiatorem ouium, tamen o-
 ues desertæ à pastore, pastoris munus ipsæ obierunt. Nâ do-
 ctrinam apostolicam integram conseruarunt. Verùm in quã-
 tum odium etiam iste ab omnibus vocatus sit, historia,
 quam deinceps narrabo, docebit. Pueri in foro pilã mu-
 tuò contorsère, quo quidem ludo se admodum oblectabant.
 Ac forte fortuna, dum transibat illac Lucius, pila è mani-
 bus pueri cuiusdam elapsa, per asini eius pedes peruolueba-
 tur. Pueri autem vociferari, quippe pilam scelere pollutam
 existimarunt. Qua re intellecta, dat mandatum vni ex comi-
 tum suorum numero, vt maneat, discatque quid factum sit. Pu-
 eri verò igne accenso, pilã per eius flammã torquent, sicq;
 eã purgatũ iri arbitrati sunt. Ac tamen nō sum nescius hoc
 puerile esse, & inueteratę consuetudinis velut reliquias, ta-
 men satis indicij inde capi potest, q̄ esset secta Arriana illi
 vrbi odiosa. At verò Lucius Eunomii mansuetudinẽ neu-
 tiquam est imitatus, sed sicut persuasit magistratibus, vt illi
 alios complures sacris initiatos in exilium mitterent, ita
 ipse eos potissimum, qui sanctam diuinamque propugna-
 bant doctrinã, ad vltimas imperii Romani oras relegauit.
 Euolcium dico diaconũ, quem Oasin vsque, de cuius soli-
 tudine multus habetur sermo, amandauit, & Antiochũ tũ
 cognatione cum Eusebio coniunctũ, cuius sororis filius e-
 rat, tum multis recte factis nobilitatum, tũ sacerdotali dig-
 nitatum honore, ad extremos Armeniæ fines expulit.
 Quam verò præclarè iste pro diuina doctrina decertarit,
 postea ostendemus. Vbi Diuus Eusebius post multa certam-
 ina, postque victorias totidem martyrii corona donatus
 fuit, conuentus populi, vt assolet, in vnum conuenit. Ac-
 cessit etiam eo Iouianus id temporis episcopus Pergæ, qui
 aliquamdiu communioni Arriani adhæserat. Itaq; cũ om-
 nes ad vnũ Antiocho ad Eusebio auunculo succedendum
 suffragati essent, & ad sacram mensam deduxissent, coe-
 gissentque genua flectere, simul ac conuersus vidit Iouia-
 num dexteram sibi imponentem, manum eius repulit, im-
 perauitque vt à numero eorum, qui ipsum consecrarent,
 segregaretur, dixitque se nullo modo posse ferre dexte-
 ram illam sibi imponi, quæ sacra mysteria per blasphemiam
 consecrata receperat. Verùm ista non diu post acci-
 derunt.

derunt. Illo autem tempore in Armeniam interiorē a-
mandatus est. Diuus Eusebius prope Istrum vitam tra-
duxit: quo quidem tempore Gotthi, vti eius scripta de-
clarant, Thraciā populabantur, eiusq; ciuitates obsidebāt.

*De sancto Barsa Edeſſe episcopo, & clericis qui
cum eo vna relegati erant. CAP. XV.*

BArsem præterea, cuius gloria etiā hoc tempore peril-
lustris est, non Edeſſæ solum, quam gubernabat, &
in ciuitatibus ei finitimis, verū etiam in Phœnicia,
Aegypto, & Thebaide (per has nanque nationes vniuer-
sas fama eius propter virtutis splendorem permanerat)
primum Valens eum Aradum insulam incolere manda-
uit. At vbi intellexit infinitas hominum multitudines ad
eum confluere, etenim apostolica repletus gratia morbos
verbo depulit, Oxyrinchum, quod est oppidum Aegypti,
relegauit. Rursus postquam eius gloria omnes etiam eo fre-
quentes pertraxit, ad castellū misit, in extremis oris illius re-
gionis positum, vicinumque barbaris, qui illic habitant,
cuius nomen Pheno est. Valens senem illum idoneum sa-
nè regno cœlorum incolam, abducendum curauit. Ferunt
eius lectum in Arado insula ad hodiernum diem remane-
re, multo sanè honore decoratum. Nam multi morbis vexa-
ti, vbi in eo decubuerint, ad integram valetudinem per fi-
dem restituuntur.

*De persecutione qua Edeſſæ sauebat, & Eulo-
gio & Protogene Edeſſensis presbyteris.
CAPVT XVI*

Valens autem, grege pastore orbato, Lupum in pastoriis
locum substituit. Et quoniam omnes, urbe relicta,
extra mœnia conuentus agebant, ipse Edeſſam pro-
ficiscitur. Ac Modesto, qui id temporis præfectus erat,
imperat, suos milites, qui tributa solebant exigere, in vnū
cogat, & reliquas copias, qui aderant, assumat, quò mul-
titudinem congregatam dissipent, virgis fustibusque ce-
dant, & aliis instrumentis bellicis, si opus sit, castigent.

MM 2 Itaq;

THEODOR. HISTOR.

Itaque præfectus prima luce, imperatum facit. Qui dum per forum transibat, mulierculam infantem gestantem manibus, & admodum properantem videt. Nam militibus omnibus contemptis, primum eorū perripit agmen: quandoquidem animus eius diuino amore accensus, hominum violentiam nihil extimuit, sed eiusmodi terrores pro risu habuit, & ludibrio. Quam tum conspicatus præfectus, cum quid factum esset, intelligeret, eam iubet ad se adduci rogat, quo se conferre velit. Tum illa, cognoui, inquit, insidias contra famulos Dei paratas, & in animo est ad fratres fide mecum consentientes contendere, magno flagrans desiderio cædem à vobis intentatam vnà cum illis subeundi. At infantem, inquit præfectus, quorsum tandem tecum fers? Vt mecum, inquit, mortis optatissimæ particeps fiat. Quæ cum præfectus à muliere accepisset, & ex eius animo aliorum omnium alacritatem perspiceret, refert ad imperatorem, & cædem illis frustra illatam fore docet. Nā & ipsi, inquit, nihil præter dedecus inde consequemur, & eorum tamè propensum ac paratum studium haudquaquã extinguemus. Quæ cum dixisset, tametsi perfecit, vt multo cruciatus expectatos minime subiret, tamen eius præfides, presbyteros dico, & diaconos iubetur abduci, & alterum è duobus præstare, nempe vel cõnferre cum Lupo, vel in vltimas imperii oras relegari. Itaque vt primum omnes in vnum coegerat, leni & blanda oratione conatur persuadere, vt legibus imperatoris morem gerant. Nam est, inquit, extremæ dementiæ, vt pauci homines imperatori tam multis, tamque præpotentibus viris moderatè resistat. Ac quoniam omnes taciti constiterunt, præfectus Eulogium eorum presbyterum primarium, virum sanè magna laude prædicandum sic alloquitur: Cur tandem non respondes ad ea, quæ dixi modo? Sanè inquit, non putabam me minime rogatum, quicquã debere respondere. Atqui præfectus, multa, inquit, verba feci, quò vos ad ea, quæ sint vobis emolumento futura cohortarer. Tum Eulogius, est inquit, tua ad omnes habita oratio, & propterea absurdum certè putavi, vt ipse, aliis à respondendo exclusis, solus responderem. Verum si à me libet quicquam sciscitari, non te celabo, quid sentiam. Cui rursus præfectus, proinde

inde, inquit, communica cum imperatore. Ad quem Eulogius dissimulanter quidem, sed valdè facetè respondet; nunquid cum imperio est etiam sacerdotii dignitatem cōsecutus? Præfectus igitur, intellecta ironia cœpit graui-ter succensere, conuicia in presbyterū iacere, & hæc quoq; verba addere. Non istud dixi, o stupide, sed vos, vti quibuscum communicet imperator, cum eisdem communicetis, adhortatus sum. Atque simul vt senex dixerat se habere pastorem, cuius nutum sequerentur, præfectus octoginta pariter comprehensos in Thraciam amandauit. Quidam abducebantur in exilium, cultu & obseruantia summa dignati sunt. Nam ciuitates & pagi processere illis obuiam, & maximum honorem, vtpote inuictis Christi athletis deferunt. Sed aduersarii inuidia armati, referunt ad imperatorem, idem ipsum, quod hisce hominibus dedecori fore putabatur, summum honorem attulisse. Quare cognita, Valens dat mandatum, vt bini duntaxat simul eant, & pars in Thraciam, pars ad extremos Arabiæ fines, alii in quædam Thebaidis oppidula dispergantur. Ferūt autem crudelissimorum quorundam opera tum eos, quos natura coniunxerat distractos fuisse, tum qui fratres erant, ab se mutuò segregatos. Eulogium verò, qui aliis præfuit præbyteris, & Protogenem secundum ab eo in Antinonen, quæ est in Thebaide relegatum. Quorum virtutem obliuione obrui non sinant. Postquam enim compererunt episcopum illius vrbis eandem secum fidem amplexantem, ecclesiasticis conuentibus communicarunt illi quidem: sed cum viderent paucos admodum in vnum coeuntes, & ciuitatis habitatores gentiles esse accepissent, doluerunt certè plurimum, vt par erat, & eorum infidelitatem grauius lamentati sunt. Attamen non satis esse cœsuerunt dolore propterea tangi, sed quoad poterant, eorū animos sanare laborarunt. Nam Diuus Eulogius in cella conclusus, dies noctesque totas vniuersitatis gubernatorem Deum orauit. Protogenes autem vir apprimè admirabilis, in literis educatus ab Eunomio, & in celeriter scribendo exercitatus, cum locum repperisset idoneū, ludum aperuit, & pueris docendis operam dedit: atque eos non modo exercuit ad celeri manu scribendum, verum

THEODOR. HISTOR.

etiam sacra Dei eloquia edocuit . Nam hymnos Davidis tanquam dictata illis proposuit, & eas apostolicæ doctrinæ sententias, quas eorum ingeniis accommodatas putabat, ediscendas tradidit . Ac cum vnus ex pueris in morbum esset delapsus, venit ad domum eius, & dexteram ægrotantis tangens, precibus morbum depulit. Qua re intellecta, aliorum puerorum patres eum ad suas quoque ædes deducunt, orantque vt liberis morbo vexatis opem ferat. At ille respondit, se non prius deum precaturum vti morbum depellat, quam qui ægrotaret, baptismi lauacro tinctus esset . Cui rei à patribus libenter assensum est . Nam sanitatis desiderium eos ad istud faciendum impulit, & simul tum animo, tum corpore sanati sunt. Verum si quando quæquam ex numero ægrotantium ad diuinam spiritus sancti gratiam recipiendam induxisset, eum ad Eulogiū deducit, pulsat ostium, orat vt tum aperiat, tum sigillum dominicum ei, quem verbo dei ad fidem traxisset, imponat . At cum Eulogius ægre ferret, velut precibus interruptis, tum Protogenes, est, inquit, errantium salus magis necessaria . Itaque mirari omnes Protogenem, cum eum eiusmodi miracula edere, & tam multis lucem diuinæ cognitionis impartire cernerent, primas Eulogio concessisse, & eos, quos verbo dei ceperat, ad illum deduxisse . Merito igitur multò maiorem præstantioremque virtutem in eo esse suspicari sunt . Postea verò quàm tempestas persecutionis sedata fuit, & ecclesiis allata tranquillitas, istique duo iussi domum reuerterunt, omnes eos producere, lamentari eorum discessum, lachrymas fundere cœperunt, & maximè omnium ecclesiæ illius antistes, quippe qui illis in agro dominico colendo deinceps careret . Vbi in patriam veniunt, Diuus Eulogius, Barse illo magno ad vitam nullis aspersam molestiis translato, ecclesiæ ab eo gubernatæ clauum obtinet . Protogeni autem illi admirabili dabatur in mandatis, vti Carras coleret, urbem sane incultam & spinis Gentilium refertam, multosq; & graues requirentem labores . Atque hæc quidem, pace in ecclesiis constituta, acciderunt.

De sancto

*De sancto Basilio Casariensi Episcopo, & qua
contra ipsum à Valente & Modesto præ-
fecto intentata sunt.*

CAP. XVII.

Valens autem, tota propè dixerim, Christi ecclesia pastoribus nudata, Casaream, quam Cappadoces accollunt, proficiscitur. Quo quidem tempore Basilius, præclarum orbis terrarum luminare, illius ecclesiæ antistes fuit. Ad quem Valens mittit præfectum, iubetque uti vel ei persuadeat communionem Eudoxij amplexari, vel si minus illud posset efficere, ecclesia illum eiicere. Nam celebris viri illius fama, quæ ad eius aures permanerat, impedimento fuit, quo minus illum primum adoriretur, ne generoso animo impetum excipiens, eumque repellens, exemplum aliis præberet fortitudinis. Attamen quod moliebatur, simile visum est aranearum telæ. Nam alii episcopi cum veteribus de religione acquievere decisionibus, tum velut quædam turres fidei murum firmum tenuere.

Cum autem præfectus Casaream venisset, Basilium Magnum accersitum honorificè excipit, leni & blanda oratione compellat: hortatur ut cedat tempori, & ne propter nimis curiosam dogmatum observationem, eamque parvò æstimandam, tot tantasque ecclesias prodat. Pollicetur se imperatoris amicitiam ei conciliaturum, beneficiaque multis aliis inde euentura prædicat. Cui diuinus ille vir, pueris, inquit, hæc quidè oratio cõuenit: siquidè illi ac sui similes eiusmodi verba avidè arripiunt: at qui sunt in sacris literis educati, ne vnâ quidè syllabâ diuinorû dogmatû prodi sinunt, sed pro istorû defensione si opus sit nullû nõ mortis genus libenter amplectuntur. Quod autem ad imperatoris amicitiam attinet, eam cum pietate iunctam magni æstimo: sed si ea careat, perniciosam esse dico. Ac cum præfectus grauius commotus esset, diceretque eum amentem esse, tum Diuus Basilius, me inquit, hanc semper amentiam opto habere. Postea verò quàm egredi iussus erat, & quid sibi agendû sit secum deliberare, posteroque die suam declarare sententiam, & huic orationi etiam minæ adiunctæ, fertur vir ille omni laude cumulandus respondisse:

MM 4 Ego

THEODOR. HISTOR.

Ego quidem certe idem, qui iam sum, cras ad te redibo: tu verò ne mutes sententiam, sed minis vtaris velim. Isto cum illo habito sermone, præfectus factus obuiâ imperatori, nūtiat ei quæ dixerat Basilius, docet eius virtutem, & quàm virili & excelfo animo sit, exponit. Quo quidam tempore imperator tacitus in palatium ingreditur. Vbi autem vidit in familiam suam plagas cœlitus demissas (nâ & filius graui morbo afflictatus, iam iam erat è vita migraturus, & coniunx variis calamitatibus oppugnata fuit) istarumque miseriarum causam agnouit, diuinum hominem, quem minatus fuerat se supplicio affecturum, orat, vt domum ad se veniat. Duces autem imperatoris mandata conficiunt. Magnus igitur Basilius tum profectus ad regiam, & filium imperatoris morti vicinum conspicatus, pollicetur eum ad vitam reuerfurum, modo sacrosancto baptisinate à piis hominibus donaretur. Quæ cum dixisset, exiuit. Imperator verò iureiurâdo, more dementis Herodis obstrictus, quibusdam sectæ Arianae, qui aderant, pueri baptizandi negocium dat. Puer extemplò obiit mortem. Itaque Valentem pœnitebat, qui mente complexus, quantum ex iureiurando suo verè obseruato accepisset incommodi, rectà ad templum sanctum se confert: fitque doctrinae Basili magni auditor, & consueta dona altari offert: Basilius autem eum intra sacra Aula, vbi ipse sedebat, venire iubet: ad quem longam orationem de dogmatis diuinis instituit, eique dicenti Valens auscultauit. Aderat etiam quidam nomine Demosthenes, culinæ imperatoriae præfectus, qui more planè barbaro orbis terræ magistrum Basilium reprehendit. At diuus Basilius subridens, Demosthenem, inquit, illiteratum vidimus. Vbi verò ille maiore exardescens iracundia, minari cœpit, tuum est, inquit Basilius ille magnus, iusculorum curare condimenta. Nam cum aures habeas oppleras sordibus, sacrosancta dogmata audire non potes. Atque ita ei à Basilio responsum est. Imperator autem sic Basilium admirari cœpit, vti agros, quos ibi habuit pulcherrimos, pauperibus, quorum curâ susceperat, quiq; corpore toto labefactati, maxima egebant curatione, donaret. Itaque ad hunc modum Magnus Basilius primum Valentis impetum deuitauit. Secundò autem cum eò accederet, rerū ante gestarum oblitus (quippe eius

eius mens à quibusdā veteratoribus expugnata fuit)hortatur Basiliū, vt ad partem aduersariam se transferat: Deinde cum ei persuadere non posset, iubet edictum de illo in exilium mittendo conscribi. Quod cum sua manu ratum face- re conaretur, ne apicem quidem vnum alicuius literæ face- re potuit: Si quidem ruptus est calamus. neque id semel, sed iterum, ac tertio accidit. Ac cum impium illud edictum cō- firmare impensius laboraret, concussa est dextera, tremorq; eam occupauit. Atque cum animo esset præ metu prope at- tonito, chartam manibus dilacerauit. Vnde rerum omniū moderator deus satis perspicuè ostendit, tum quòd aliis e- ius permissu eadem ipsa obtigerunt, tum quòd Basilius o- pe illius insidiis ereptus fuit. Atque vt in isto Basiliij nego- cio potentiam suam monstrauit, sic in illo altero suæ prouid- entiaē genere fortitudinem præstantissimorum hominum curauit palam prædicandā. Valentē igitur in hunc impetū facientem spes frustrata est.

*De sancti Athanasii morte & Petri successi-
one. CAP. XVIII.*

Alexandriæ porro cum victor Athanasius post multa confecta certamina, post totidem etiam reportatas co- ronas ex huius vitæ laboribus ereptus esset, & ad vitā vacuam à molestiis trāsatus, Petrus, vir facile optimus præ- sulatum illum obtinuit, quem primū B. Athanasius suo suf- fragio designarat, eiusq; electioni ab omnibus tam sacerdo- tibus, quàm magistratibus assensum est. Populus quoque vniuersus acclamationibus quantum lætitiæ percepisset, de- monstrauit. Nam laborum ab Athanasio susceptorum soci- us & particeps fuit, & cū eo tum ibi vitam degente, tum pe- regrinante semper versatus est, & varios labores cum illo vna exantlauit. Quapropter episcopi vicini eo simul ire- maturant: & qui vitam seuera disciplina exigebant, ii ea re- licta, ad Petrum in sede Athanasii collocandum se cōferunt.

*De exturbatione Petri, & Lucij Ariani in-
ductione. CAP. XIX.*

MM 5

Postea

THEODOR. HISTOR.

Postea verò quam in sede episcopali locatus erat, præfectus illius prouinciæ collecta Gentilium & Iudæorum multitudine, Ecclesiæ parietes circumfedit, deditque Petro mandatum, vt exiret: atque adeo minatus est se eum, nisi exiret, inuitum inde exturbaturum. Atque ista egit, simulans quidem se velle imperatori gratificari, & contrariam doctrinam tuentes grauib; afficere incommodis, sed reuera, vt impiæ iræ, qua exardescerat, indulgeret. Nam colendis simulachris penitus addictus erat, & festi splendidissimi loco habuit, turbulentam Ecclesiæ iactationem. Proinde Petrus ille admirabilis, cum bellum ex inopinato ortum videret, clam Ecclesia egreditur, & conscensa naue, Romam contendit. Paucis intermissis diebus, Euzoius Antiochia Lucium secum ducens Alexandriam aduentat, ei que tradit Ecclesias. De cuius impietate ac scelere Samosata satis fecissent periculi. Populus autem doctrina Athanasii educatus, cum contrarium alimentum sibi præberi cerneret, conuentus ecclesiasticos deseruit. Quapropter Lucius subsidio satellitum qui simulachra colebant, vsus, alios verberibus cedere, includere in carcerem alios, nonnullos per vim in fugam vertere, quorundam ædes instar barbarorum vastare cepit. Cæterum à Petro illo admirabili hæ res sunt multò accuratius in epistola explanatæ: quam epistolam ipse equidem, vbi vnum scelus à Lucio editum exposuero, in historiam inseram. Erant in Aegypto homines, qui angelicam plane viuendi rationem summo studio excolentes, à tumultu ac strepitu ciuili se remouerent, vitæque in solitudine degere instituerent, & loca arenosa planeque sterilia redderent frugifera, & ex virtute, quam velut legem viuendi sibi proposuissent, fructum deo gratissimum pulcherrimumque efferrent. Quod vitæ genus tametsi alij complures colere inceperant, tamen Antonius ille multorum ore ac sermone celebratus se ordinum illorum qui seueram hanc & monasticam viuendi disciplinam sectati sunt, magi strum longè præstantissimum præbuit: atque solitudinè palæstræ virtutis monachis effecit. Cuius discipulos (nam ille ipse cum maximo & præclarissimo viatico iam ad portum tranquillitatis appulerat) infelix ille & plane miser Lucius persecu-

persecu-

persecutus est. Nam principes sacrosancti illius chori, Marcium dico, illum celebrem, & gentilem eius, quinetiam Isidorum, & alios præterea è speluncis educens, quandam in insulam ab impiis hominibus habitatam, quæ nullum vnquam pietatis magistrum admiserat, relegauit. Ac cum nauigium ad littus insulæ appropinquaret, dæmō, quē insulani colebant, relicto simulachro sibi dedicato, in quo iam diu suū domicilium habuerat, filiā sacerdotis in furorē compulit, & bachantem ad idem ipsū littus, ad quod remiges nauem appulerant, deduxit: cuius lingua pro instrumento vsus, eadem per eam contenta voce effudit verba quæ mulier olim Philippis habens spiritum Pythonis. Omnesque tum viri, tum mulieres audiuerunt dæmonem illum dicentem: ò vestram potentiam: ò famuli Christi, ubique à vobis abigimur: ex ciuitatibus, & pagis, ex mōtibus & collibus, ex solitudine ab incolis deserta. Sperabamus quidē in hac insula ætatem agentes, vestris telis fuisse liberatos, de qua iam spe decidimus. Nam persecutores vos istuc amandarunt, non vt vos afficerent molestia, sed vti nos vestro aduentu hinc expellerent. De insula igitur decedimus: vestræ namque virtutis radiis, tanquam telis percellimur. Hæc & his similia locuti, puellam prostrauere ad terram, ipsique prorsus euanuerunt. Diuinus autem ille sanctorum chorus puellam precibus excitauit, & sobriam ac sanam genitori reddidit. Huius miraculi spectatores ad sanctorum illorum pedes prouoluti, orant vti per eos salutis viaticum assequantur: delubrum simulachrorum diruunt, atque piæ doctrinæ splendore illuminati, sacrosancti baptismatis gratia donati sunt. Quibus rebus in vrbe Alexandria palam cognitis, omnes pariter coeperunt Lucium conuitiis lacerare, atque adeo dicere irā Dei ipsos oppressuram, nisi diuinus sanctorū illorū cœtus dimissus esset. Itaque Lucius veritus tumultum ciuium, fecit copiam sanctis viris ad speluncas suas reuertendi. Quanquā verò ex his detestabilis eius nequitia & impietas satis cognosci potest, tamen Petri illius admirabilis epistola multò accuratius scelera ab eo admissa explanabit. Sed ne nimis longus sim, ea duntaxat, quæ sunt in media epistola posita, citabo.

De iis

THEODOR. HISTOR.
De ijs quæ Lucij impulsu Alexandria con-
tigerunt narratio, ex Petri Alexan-
drini Episcopi epistola.

CAP. XX.

PRouincæ illius præfectus Palladius, professione Gé-
tilis, & simulachris colendis semper deditus, quoniam
sepe animo instituerat bellum contra Christum gere-
re, tandem copiis, quas supra dixi, in vnū coactis, Ecclesiam
non aliter atque Barbaros subiugare maturat. Tum verò, tū
inquam, facinora longe improbissima admitta fuere. Quæ
dum volebam solum commemorare, eorum memoria tan-
tum mihi attulit doloris, vti immensam vim lachrimarum
profunderim. Quæ sane ægritudo me diu admodū oppres-
sisset, nisi diuina quadam cogitatione eam lenire aggressus
fuissem. Nam copix in Ecclesiam Theonæ (sic enim vo-
cabatur) ingressæ, pro verbis grauibus & Ecclesia dignis, si-
mulachrorum laudes decantare, pro diuinarum literarum
lectione, plausus indecoros edere, fractasque voces cū ob-
scœnitate fundere, & contumelias in Christi virgines iace-
re non sunt veriti. Quales quidē contumelias lingua pro-
ferre reformidat, quippe cum dictu turpes sint. Nam quis-
nam bene sanus, cum eas tantummodo audiret, non aures
penitus obstrueret? Imo vero optaret se potius surdum ef-
se, quàm vt tantam obscœnitatē auribus acciperet. Sed v-
tinam verborum turpitudine contenti, in ea re solum de-
liquissent, & non improbitate factorum, verborum petu-
lantiam longe superassent. Nam conuitium, qualecunq;
illud sit, est quidem tolerabile præsertim his, in quorum a-
nimis Christi prudentia, & doctrina diuina habitat. At i-
sti vasa iræ aptata ad interitum, nasuti, qui strepitum lasciu-
uum, sonorum, & velut ex aquæ ductu, vt ita dicam, erum-
pentem, per nares effundebant, vestes sanctarum Christi vir-
ginum, quarum pius vitæ cultus exemplar viuendi san-
ctorum angelorum expressit, dilacerare, easque nudas, vt
in lucem editi erāt, per urbem triumphii loco ducere & pro
sua libidine petulanter & obscœnè irridere cœperunt, de-
niq; quæ perpetrata sunt tū crudelia erant tū peregrina.
Quod si quis his rebus ad misericordiā inductus, eos vel
vi pro-

vi prohibere, vel hortando à talibus facinoribus dissua-
 dere conaretur, non sine vulneribus discessit. Verùm pro-
 dolor, multæ virgines per vim stupratæ, complures etiam
 fustibus in capite cæsæ, mutæ iacuerunt: quarum corpora tu-
 mulis mandandi nulla omnino permiffa potestas est. Et pro-
 pterea complura earum corpora, quæ sunt ab illarum paré-
 tibus cum multo gemitu quæfita, nondum reperiuntur. Sed
 quid inter res magnas, eas quæ sunt exigui momenti, per-
 sequor. Aut quid in his immoror, & non ad eas, quæ pro-
 pter acerbiter me ad se rapiunt, properè sermonem tráf-
 fero? Quarum, certo scio, vos magna capiet admiratio, &
 velut attoniti iuxta nobiscum consistetis, obstupescentes
 admodum, quòd dominus tanta clementia vsus sit, ac non
 funditus hanc vniuersitatem deleuerit. Nam quæ neque
 facta sunt, vti scriptum est, neque audita in diebus patrum
 nostrorum, hæc impii in ipso altari designarunt. Nã velut in
 proscenio, in quo turpis aliqua ageretur fabula, puerum maf-
 culum, qui sextum denegauerat virilem, & muliebrem sibi af-
 finxerat, quiq; tum oculos habebat, vt scriptis proditum est,
 stibio oblitos, & vultum simulachrorum more, fuco ruben-
 tem, habitu muliebri in ipso sancto altari, vbi pro spi-
 ritu sancti descensu inuocari solet, corpore in orbem a-
 cto, & manibus huc illucque cum gestu iactatis, saltare cõ-
 pulerunt: atque in risum immoderatum effusi, nefarias ve-
 ces ore extulerunt. Rursus cum istud quoque ad rectum
 ordinem spectare, & præterita facinora decora potius, quàm
 nefaria existimarent, vnum ex suis turpetudine insigniter
 nobilitatum, & vt pudore, ita vestibus, sicut natus erat, nu-
 datum, in summo Ecclesiæ folio collocant, turpemque cõ-
 tra Christum concionatorem appellant. Nam pro ver-
 bis diuinis turpitudinè, pro graui oratione petulantiâ, pro
 pietate impietate, pro cõtinentia stuprum, adulterium cõcu-
 bitum cum masculis prædicauit: docuitq; cum alia, tum furtum,
 cibum, & potionem, vitæ hominum vtilia esse. Quæ cum
 ita se haberent, & ipse de Ecclesia decessissem (qui enim i-
 bi manere poteram, vbi incursiones à militibus factæ, v-
 bi multitudo argento conducta ad seditionem, vbi nimia
 pecuniæ cupiditas, vbi turbæ gentilium amplissimis pro-
 missis ad maleficia inuitatè?) noster scilicet successor Lu-
 cius,

THEODOR. HISTOR.

eius, qui partes Lupi nequitia & improbe factis agere impē
 se studebat, quiq; episcopatū nō consensu episcoporū or-
 thodoxorum in vnum conuenientium, non suffragiis verē
 clericorū, nō postulationi populi, vti sacri ecclesie canones
 prescribūt, sed pecunia tanquā dignitatē quandā, vt ita di-
 cam, secularem emerat, illo cum mandato aduenit. Istū autē
 comitati sunt (solus enim in urbem ingredi non poterat)
 non episcopi vlli, non presbyteri, non diaconi, non populi
 multitudo, non monachi hymnos ex sacris literis deprom-
 tos cantātes, sed Euzoius, qui iam pridem in sancto & cele-
 bri concilio Nicæno, cum diaconus esset in vrbe nostra
 Alexandria, vnā cum Ario abdicatus fuerat, nunc autē præ-
 sul ecclesie Antiochenæ, quam velut pestis labefactat, &
 Magnus quidam, Comes prouincialium largitionum, cum
 ingenti militum manu, vir nullo nō impietatis genere sem-
 per nobilitatus: qui Iuliani tēporibus ecclesiam Beryti (ea
 autem est vrbs Phœnicie perillustis) incenderat, sed Ioui-
 ano piæ memoriæ imperatore regnante, eandem suis ipsius
 impensis erat denuō ædificare coactus, parūq; aberat, quin
 securi fuisset percussus, nisi multis pro eo deprecātibus, ve-
 niam ab imperatore impetrauisset. Itaque vos, qui incredi-
 bili pietatis studio flagratis, quorum opem ad hæc scelera
 vindicanda imploro, hinc consyderare debetis, quæ & quā-
 ra maleficia ab isto, quem dixi, tyranno Lucio, qui in nos
 impetum fecerit, contra ecclesiam Dei designata sint. Nam
 non à vestra pietate solum, verum etiam ab episcopis omni-
 bus orthodoxis sæpenumero abdicatus, ciuitatem ei iustis
 de causis admodum infensam occupauit. Quinetiam non
 modo, vti insipiens ille blasphemus in Psalmis loquitur,
 quòd Christus non est verè Deus, sed etiam vitæ institutis
 & ipse corruptus est, & alios corrumpit, inq; maledictis cō-
 tra seruatore[m] ab his, qui creaturam creatoris loco colunt,
 iactatis plurimum delectatur. Et quid quæso causæ est, cur
 cum simili cum Gentilibus opinione imbutus sit, non no-
 ua quadā & inaudita impudētia sceleratus Deū colere aude-
 at? In cuius cōspectu Gentiles has laudes prædicarunt: Gra-
 tus est nobis tuus, o episcope, aduentus, qui filium Dei ne-
 gas.

gas. Serapis te amplectitur, hucque adduxit. Atque isti quidem in eo excipiendo nomen simulachri sui patrii recitarunt.

Porro autem vix momentum temporis iam præterierat, cum Magnus, quem supra nominavi, indiuiduus impietatis istius comes, satelles truculentus, satrapa crudelissimus, copiis comisissis suæ curæ in vnū collectis, presbyteros & diaconos numero decem & nouem, quorum non nulli octogesimum ætatis annum præterissent, comprehendit, & de illis velut in aliquo scelere, eoque Romanorum legibus contrario deprehensis iudicium publicū exercere, & ignarus legum, quæ sunt pro Christianæ pietatis defensione sancitæ, eos compellere cœpit, vti auitam fidem ab apostolis per patrum successione nobis traditam proderent: affirmavitque Valentem Augustum imperatorem clementissimum hac re vehementer delectatum iri. Postremo cum maxima contentione vocis hæc verba protulit: ò miseri, obsequimini, Arianæ opinioni assentite. Nam diuinū numen, licet illa quam colitis religio vera sit, si non vestra spontè, sed necessitate adducti, ab ea discedatis, veniam vobis daturus est. Etenim in his, quæ necessitate peccantur, relinquitur excusationi locus: sed cum sua sponte quisquam deliquerit, carere reprehensione non potest. Quocirca iis rationibus ante oculos mentis positis, abiecta omni cunctatione, alacri animo nostræ accedite sententiæ, & dogmati Ariano, quod iam Lucius (eum namque nominavit) palam prædicat, subscribite: pro certo persuasi, quod si istius doctrinæ obtemperaueritis, sitis pecuniam, opes, & honores ab Imperatoribus consecuturi: sin autem restiteritis, tum carceres, tormenta, quæstiones, flagella, & carnicinæ vobis subeundæ sunt: tum pecuniis, vnà cum possessionibus orbati eritis, tum denique eiectione à patria, ad loca molestissima incolenda condénabimini. Ad hunc modum igitur generosus iste dux, minis cum fraude tēperatis, omnes à pia doctrina & sententia partim cohortando, partim cogendo deducere studuit. At verò illi, quoniam pietatis prodigionem plus habere

THEODOR. HISTOR.

acerbitatis vti reuera habet, quam vllum cruciatus genus, existimabant, demum necessitate compulsi, his verbis ei respondetunt, virtuteque & virili animorum celsitate, fraudem eius pariter & minas profligarunt: Desine posthac, desine his vocibus nos perterrere: à verbis inanibus profertendistu te cohibe. Nam nos neque nouitium, neque recentem colimus Deum. Ac tametsi tu velut fluctibus iactaris, spumam ore temerè fundis, & tanquam ventus violentus in nos cum impetu ruis, tamen nos ad extremū vsq; spiritum, sumus doctrinæ pietatis firmè adhæsuri. Neque certè vnquã sensimus Deum potentia, sapientia, aut veritatis expertem esse, neque patrem interdum existere, interdū non existere, vti impia Arianorum opinio fert, neque filiū in tempore ortum, aut momentaneum esse opinati sumus. Nam si filius sicut Ariani somniant, creatura sit, & non sit patri consubstantialis, inde efficeretur, vt pater quoq; non sit: quippe si, vt illi sentiunt, quodam tempore non extabat filius, pater etiam quodam tempore non fuit. Verūmsi pater sempe existit, filio videlicet, vero germine, & non ex feminis profluuio enascentis, existente (Deus enim impatiibilis) quid est cur non demens & insanus existimetur ille, qui filium, per cuius gratiam factū est, vt sint omnia, quodam tempore nō fuisse sentiat? Nam patres nostri per vniuersum orbem terrarum diffusi, ex quorum fide isti excidentes, meritò sanè patre carere dicantur, Nicæ in vnum conuocati, peruersæ Arii opinioni, cuius patrocinium iste nouitius susceperit, anathema denuntiarunt, & filium non ex alia essentia, quàm patris, quod tu nos iam dicere vrges, sed ex eadem ipsa constare asseruerunt. Quod quidem præclarè & cum pia cogitatione complexi, filium ex crebra vocum è sacris literis petitarum collatione patri consubstantialem ingenuè confessi sunt. Itaque cum hæc & alia iis similia dixissent, ad multorum dierum spatium in carcerem eos cōclusit Magnus, ratus se eo pacto illos à pietate deducturū. Verūm illi nō aliter atque fortissimi in stadio athletæ, omni metu penitus deposito, se rebus præclarè à patribus diuina mēte & cogitatione gestis quasi perungētes, multò excelsiores animos ad pietatē propugnandā habuerūt, tormēta nihil aliud, quā virtutis gymnasiū arbitrati.

bitrati. Sic igitur cum decertarent, & spectaculum, vti scribit beatus Paulus, tum angelis tum hominibus fierent, accurrit tota ciuitas, visura Christi athletas verbera iudicis eos torquentis tolerantia vincentes, & contra impietatem per patientiam erigentes trophæa, & triumphos aduersum Arianos agentes: quos quidem per minas ac fraudem oppressos, dirus iste hostis libidini eorum, qui impietatem contra Christum exercebant, se dediturum censuit. Cum igitur tormentis crudeliter eis infligendis fatigatus esset, populusque vniuersus variis querelæ generibus, & multo luctu vteretur, truculentus ille dux, qui omnem exuerat humanitatem, consuetis suis copiis denuo ad tumultum ciendum collectis, Christi athletas ad iudicium, imò verò ad iniustam condemnationem vocat, eosq; ad littus maris sisti iubet: in quo loco cū simulachrorū cultores, & Iudæi mercede cōducti, more suo, cōtra eos vociferarentur, & illi manifestæ insanorū Arianorum impietati cedere nollent, sententiam de illis populo vniuerso ante tribunal grauiter lamentante, pronunciat Magnus, vt Alexandria exacti, ad incolendam Heliopolim, vrbem Phœnicie, transportarentur: in qua quidem vrbe ne vnus quidem habitabat, qui Christi nomen audire (omnes enim simulachra colebant) omnino sustineret. Itaque iussis illis acturum nauem conscendere, ille ipse in litore stans (nam in balneis publicis, quæ prope inde aberant, eos condemnauerat) ensē districtum illis ostendit, ratus quidem se terrorem iniecturum eis, qui ancipiti gladio spiritus infestos daemones sæpenumero vulnerassent. Dat igitur mandatum, vt iam cum neque commēatum vllum in nauem imposuissent, neque quicquam omnino haberent, quo exilii molestias subleuarent, inde soluant. Quo quidem tempore ipsum mare, (quod planè mirandum est, & prope incredibile) vndis agitatum spumare cœpit, rei indignitatem, credo, agrè ferens, & penitus, vt ita dicam, recusans eos viros excipere, ne eo pacto iniqui mandati exequendi particeps fieret. Quippe his, qui ignari erant, barbaram & immanem iudicis voluntatem perspicuè patefecit: adeò vt verè dici possit, hac re cœlum ipsum obstupuisse. Quinetiam tota ingemuit ciuitas, & adhuc lugere non desinit. Nam pars alternis manuum ieti-

THEODOR. HISTOR.

bus pectora tundendo ingentem strepitum edere, pars manus simul & oculos ad cœlum tollere, quò Deum de vi sibi illata testarentur, & ita ferè loqui: Audi cœlum, & auribus percipe terra, quàm iniqua atque adeo indigna edita sint facinora. Denique omnia luctu redundare, planctus, & eiulatus, per vniuersam urbem peruadere, flumenque tantum lachrymarum de repente manare, vti ipsum mare sua inundatione obruere videretur. Cum autem dux iam ad litus astans, imperaret remigibus, vt vela erigant, tum fiebat fletus promiscuus virginum, scœminarum, senum & iuuenum, tum lamenta cum amaris lachrymis permixta, tum clamores ab omnibus tam ingentes editi, vt maris vndosi murmur, quod tumidi fluctus mutuò collisi excitare solent, propemodum obscurarent. Vt primum verò athletæ Christi, quos diximus, appulere Heliopolim, vbi omnes erant superstitioni dediti, vbi instituta diaboli ad voluptatem explendam comparata, vbi horrenda ferarum latibula (nam montes vndique cœlum propter altitudinem penè attingentes, urbem illam obuallabant) & omnes deinceps in mediâ urbe communiter, & singuli priuatim lamentari, & lugubres voces fundere inceperunt, dabatur mandatum à Paladio, urbis illius præfecto, homine superstitioni deditissimo, vt omnino lachrymare desinerent. Vnde multi qui plorabant, hique præ diuino zelo strenui ecclesiæ propugnatores arrepti, primum in custodiam coniciebantur, deinde verberibus cæsi, lacerati, & tormentis affecti, ad metalla, quæ sunt in Phenneso, & Proconneso, amandabantur. Inter quos complures erant monachi, ad numerum viginti trium, qui quò seueram disciplinam excolerent, in solitudine habitarunt: quibus cum vnâ diaconus, qui literas tum consolationis, tum communionis à Damaso episcopo Romano ad nos attulerat, manibus à tergo colligatis, à lictoribus palam, tanquam maleficus insigniter improbus trahebatur. Qui acerbioribus tormentis, quàm quisquam homicida, excruciatu fuit, cuius ceruices lapidibus & plumbo crudeliter verberatæ erant. Postremò naue ad traiciendum conscensa, eodem modo, cum eo, atque cum cæteris actum est. Nam

est. Nam omni ope ac subsidio destitutus erat, & propterea frontem signo sanctæ crucis consignavit, sicque metallis æneis, quæ sunt in Phenneso, traditus est.

Porro autem cum iudex tenera puerorum corpora torqueret, quidam eorum post cruciatus remansere iure sepultura defraudati, idque cum parentes, fratres, cognati, & tota, penè dixerim, ciuitas postularet, ut vnum hoc, atque adeo vltimum vitæ solatium illis tribueretur. Sed ò sæuam iudicantis, imò verò condemnantis crudelitatem. Nam qui pro pietate decertarint, idem cum homicidis iudicium subeunt: corporaque eorum manent insepulta: & qui pro fide strenuè dimicant, bestiis & volucris obiciuntur ad vorandum: qui denique patres cæsum conscientie causa commiserati sint, tanquam impii facinoris autores, securi feruntur. Quæ Romanorum lex, quæ Barbarorum sententia vindicauit in eos, qui patribus cæsum condolerunt? Vbinam tale scelus à quoquam veterum fuit vnquam patratum? Olim Pharaon iusserat Hebræorum masculos trucidari. Verùm inuidia & metu adductus hoc mandatum dedit. At quæ tum gerebantur, quanto sunt his, quæ modò designata sunt, mitiora? quanto optabiliora, si in iniuria optio vlla sit? quanto tolerabiliora, si scelus cum scelere (licet scelera aliud ab alio seiungi nequeant) velimus comparare?

Sunt ista quæ commemoro, incredibilia quidem, immania, dira, crudelia, & barbara, sine misericordia, amara: Sed tamen amentes Ariani in illis insolenter gloriati sunt, atque adeo tripudiarunt. Cum enim tota ciuitas in luctu & mœrore esset (nulla enim domus erat, in qua, vti in Exodo scriptis proditum est, non iaceret mortuus) hi, quorum crudeles animi nullo modo exsaturari poterant, non conqueuerunt, sed scelus de integro exercere aggressi sunt. Nam voluntatem suam, quæ ad deteriora inclinabat, patefacientes, suæ malevolentie virus in illius prouinciæ episcopos effundere cœperunt. Siquidem opera Magni, quem diximus, Comitum largitionum, satellitis ad iniuriam satis instructi, nonnullos eorum in iudicium adducere, aliis

THEODOR. HISTOR.

quo libitum erat modo insidias parare, eo concilio, uti omnes ubique impietatis laqueis irretirent, nihil intentatum relinquentes. Quin etiam omnia loca circuire non aliter, atque diabolus ipsorum hæreseos parens, quærentes, quem deuorent. Atqui cum in eo, quod conabantur, ab omnibus se destitutos viderent, vndecim tamen episcopos Aegypti, viros, qui ab ineunte ætate ad summam vsque senectutem solitudinem sæueræ disciplinæ causa incoluerant, qui sanctam ac synceram fidem audacter & liberè prædicarant, qui pietatis dogmata vnà cum lacte nutricis suxerant, qui victoriam contra dæmones reportarant, qui virtute aduersarium represserant, qui Arianam hæresim suis, ut aiunt, coloribus depinxerant, Magno illo, quem supra nominauimus, velut instrumento crudelitatis vsi, in exilium eiecerunt, oppidumque nomine Diocesaræam à Iudæis, qui dominum interficiebant, habitatum, incolere compulerunt. Et tamè non aliter, quàm Orcus, morte fratrum minime satiati, ubique terrarum, velut amentes ac stupidi, suæ crudelitatis monumenta relinquere non verentur, atque adeò maleficiis se nobilitare student. Ecce enim rursus ecclesiæ catholicæ clericos qui Antiochiæ commorabantur, quiq; cum quibusdam monasticæ vitæ spectatis, tragica eorum scelera testata apud omnes relinquere constituerant, isti vocibus maledicis contra eos in aures imperatoris infusis, Neocæsaream urbem Ponti relegandos curauerunt: qui quidem propter locorum asperitatem, vita quoque breui spoliati sunt.

Tales quidem tempora illa tulere tragœdias: quæ tamen silentio & obliuione obruendæ sunt, tamen literarum monumentis produntur ad eos coarguendos, qui linguis petulantibus dominum sunt infectati: qui quidem morbo blasphemix infecti, non modo in totius vniuersitatis dominum & moderatorem Deum conuitia iacere, verum etiam contra pios eius famulos bellum exitiale suscipere non dubitarunt.

*De Mania Saracenorum regina, & Mo-
fis monachi ordinatione.*

Per

CAPVT XXI.

PER idem tempus Ismaelitæ agros imperio Romano finitimos populati sunt : quorum dux fuit Mania, quæ non complexa mente eam, quam habuit naturam, animos viriles sibi sumpsit . Eademque post multa commissa prælia, primum fœdus cum Romanis ferit : deinde luce diuinæ cognitionis accepta, postulat episcopum genti suæ designari, Mosen quendam, qui in finibus Aegypti & Palæstinæ habitabat . Cuius postulationi assensus Valens, diuinum illum hominem Mosen Alexandriam adduci iubet, ibique gratia episcopali donari . Vbi verò adductus est, viditque Lucium sibi manū imponere velle, abfit, inquit, vt tua manus me consecret. Nam tua inuocatione spiritus sancti gratia in neminem descendit . Cui Lucius, vndè inquit, ista coniicis ? Non coniicio, inquit, sed certò equidem scio . Etenim pugnas cōtra doctrinam apostolicam, & contrariam ipse doces : atque cum verbis blasphemiarum, impiè facta coniungis . Quis namque impius non tua causa conuentus ecclesiasticos petulanter infectatus est ? Quis è laudatorum virorum numero non per te exulauit ? Quam immanitatem barbaram maleficia abs te in dies singulos admissa non longè superarunt ? Quæ cum animo valdè fidenti dixisset, Lucius eius verbis attentè auditis, eum interficere magnopere cupiebat ille quidem, sed tamen metuebat, ne bellum extinctum de integro accenderet . Quamobrem ad alios episcopos, quos ille ipse postulauerat, deduci iussit . Postremo Moses, vbi cum fide admirabili gratiam episcopalem receperat, ad illos, qui eum requirebant, profectus est, & partim doctrina apostolica, partim miraculis eos ad veritatem traduxit . Atque Alexandriæ quidem eiusmodi scelera à Lucio admissa, & diuina prouidentia mirè compressa cognouimus .

De rebus truculenter Constantino-
poli gestis. CAP. XXII.

NN 3 *Constan-*

THEODOR. HISTOR.

Constantinopoli autem, Arianam nauem piis presbyteris refertam sine armamentariis in altum propellunt.

Deinde quibusdam suae sectae fautoribus in aliud nauigium impositis, mandatum dant, ut nauem presbyteris refertam incendant. Qua re confecta, presbyteri cum igne & mari paulisper confictantes, tandem in profundum demerguntur, coronamque martyrii recipiunt.

Valens vero longissimo temporis spatio Antiochiae vitam degens, impunitatem concessit gentilibus, Iudaeis, & aliis quibusque, qui nomen Christianorum sibi assumentes, doctrinam euangelio repugnantem praedicabant. Etenim qui superstitioso errore obstricti tenebantur, mysteria gentilitia obierunt: & caeca opinio à Iouiano post mortem Iuliani extincta, istius imperatoris permissu reuiuere coepit. Atque Dialia, Dionysia, & Cereris festa non in occulto peragebant Gentiles, uti regnante pio imperatore assolent. sed per medium forum bacchantes cursabant. Solis autem apostolicae doctrinae propugnatoribus tyrannus iste se hostem praebuit. Nam primum illos sacris aedibus (Iouianus enim nunquam satis laudatus imperator eis ecclesiam recens aedificatam dederat) exturbauit: qui simul atque ad montis radicem in unum conuenerunt, hymnis dominum celebrare, diuinaque recitare eloquia coeperunt: infestos aeris turbulenti impetus toleranter perpessi sunt, interdum pluuia, nonnunquam niue & frigore, aliquando vehementissimo solis ardore afflicti. Verum imperator ne hac quidem commoditate, licet valde laboriosa, fruendi permisit illis potestatem, sed missis ad eam rem militibus, eorum conuentum dissipauit.

Quod Flavianus & Diodorus orthodoxorum conuentum Antiochia congregabant.

CAPVT XXIII.

AT Flavianus & Diodorus tanquam rupes quaedam fludus irruentes fregerunt. Nam Meletio longè à suo grege vitam degere coacto, hi duo curam gregis suscipiunt: & tum lupis sua fortitudine & sapientia resistunt, tum ouibus conuenientem curationem adhibent. Itaque à radicibus montis depulsi, oues ad ripas vicini fluminis

minis pascebant. Non enim more eorum, qui Babylone olim captiui tenebantur, organa suspenderunt, sed conditorum & patronum suum in omni loco dominationis eius hymnis celebrarunt. Cæterum ne isto quidem in loco conuentum piorum pastorum Christum dominum diuinis laudibus efferentium agi hostis ille passus est.

Proinde duo illi pastores admirabiles, diuinis ouibus velut in gymnasium bellicum coactis, spirituales herbas eis demonstrant. Atque Diodorus, vir sapientissimus fortissimusque, tanquam fluuius limpidus & ingens, tum suorum animos fortitudinis riuulis irrigauit, tum aduersariorum blasphemias synceræ doctrinæ vndis penitus obruit. Qui vt generis splendorem pro nihilo putauit: sic ærumnas pro fidei defensione lubens perpeffus est. Flavianus autem optimus vir, & si ex patritiis ortus, tamen solam pietatem nobilitatis loco numerauit: & tanquam palestræ magister magnum Diodorum, velut athletam in omni certaminis genere exercitatissimum perunxit. Nam id temporis quanquam ipse in conuentibus ecclesiasticis minimè cōcionatus est, illis tamen, qui illud munus obibant, magnâ copiam argumentorum & sententiarum è sacris literis petitarum suppeditauit. Atque vt illi arcus contra Arrianam blasphemiam tendebant, ita hic ex mente tanq̄ ex pharetra tela eis subministrabat. Quinetiam hæreticorum retia priuatim & publicè disputando, facile dirupit, & argumenta ab illis proposita aranearum telis similia esse demonstrauit. Istitis duobus se in prælio socium præbuit Aphraates, cuius vitam in historia nostra, quæ inscribitur Philotheus, conscripsimus. Nam salutem ouium suæ ipsius tranquillitati anteponebat, gurgultio, in quo vitam monasticam excoluerat, relicto, labores pascenti gregis dominici sibi imposuit. At licet superuacaneum putem hoc loco commemorare, quantas virtutis opes collegerit, præsertim cū in alio opere illud ipsum literis consignarim, vnâ tamen rem ab eo gestam, huic peraccommodatam historiæ percensēbo.

De sancto Aphraate monacho.

CAPVT XXIIII.

NN 4 Orontes

THEODOR. HISTOR.

Ontes fluuius palatium à Septentrionibus præterflu-
it. A meridie autem amplissima duarum contignatio-
num porticus, turres vtrinq̄ue habens excelsas, in ipso
urbis muro ædificata est. Inter palatium & fluuium est via
publica, quæ eos, qui per portas suas ex vrbe egrediuntur,
excipit, rectaque ad agros suburbanos ducit. Hac forte trá-
fiens diuinus ille Aphraates, se ad bellicum gymnasiũ, quo
sanctis omnibus conuenientem curationem adhiberet, cõ-
tulit. Hunc imperator, oculis de sublimi ex porticu regia
deiectis, vidit pallio vili ac sordido indutum, & cito gra-
du, licet confectum penè ætate, incedentem. Ac cum qui-
dam dixisset, hic est ille Aphraates, ex cuius nutu pendet ci-
uitas vniuersa, ibi tum imperator, cedo, inquit, quo te con-
feras? Ille tum sapienter sanè & appositè, pro tuo, inquit,
regno precaturus. Tum imperator, at domi, inquit, tibi
manendum est, & intra cellam, vti lex monastica postulat,
orandum. Cui diuinus ille vir, præclare admodum, inquit,
dicas, ò imperator: istud sane mihi faciendum est, & hæc-
tenus feci, dum oues seruatoris pace fruerentur. Verùm quo-
niam iam magnopere conturbantur, & multum illis impen-
det periculi, necesse est omnes vias persequi, non modò ne
à feris capiantur, sed etiam vt conseruentur incolumes.
Nam dicito mihi, quæso, ò Imperator, Si filia alicuius es, &
& sederem in conclaui, vti ædes curarem, atque deinde cer-
nerem flammam in eas incidisse, ædesque paternas iam con-
flagrare, dicito mihi, inquam, quid me facere oporteret: in-
tùsne manere, & ædes incensas negligere, expectareque
donec flammæ impetus longius peruaderet, an relicto con-
claui sursum deorsumque curitare, & aquam afferre, qua
flammam extinguerem? Hoc certè te responsurum cõstat.
Nam hæc sunt partes filia prudentis & prouida. Atque hoc
ipsum nos agimus ò imperator. Etenim cum tu iam in pa-
tris nostri ædes flammam inieceris, nos circuncursitamus,
quò eam maturè possimus extinguere. Quæ cum locutus
esset Aphraates, imperator ei interminatus, conticuit.
Verùm vnus ex eius cubiculariis grauiore contra hominè
diuinum iactauit minas, & propterea talem plagam acce-
pit. Forte ei cura balnei commissa fuit, qui simul vt Aphra-
atem verbis contumeliosis infectatus fuerat, ad balneum
imperator

imperiatori parandum se contulit. Cumque ingressus esset, repente de potestate mentis deturbatus, in aquam calidissimam minimeque temperatam se precipitavit, illicoque obiit mortem. Imperator autem sedens, illum expectat, uti indicet, quando in balneum intrandum sit. Vbi verò multum temporis præterierat, alios mittit, qui moræ causam ei significent. Hi ingressi in balneum, cum omnia intus loca oculis lustrassent, tandem offendunt hominem in aqua feruente minimeque temperata mortuum, corpusque eius ardore dissolutum. Qua re imperatori nunciata, didicere omnes quantum ponderis Aphraatis haberet oratio. Attamen de impia sua doctrina minimè desiterunt, sed more Pharaonis cor suum indurarunt: ipseque ille imperator, quamuis cognito sancti viri miraculo obstupesceret, non tamen eius furor contra pietatem incitatus confedit.

De sancto Iuliano, & Antonio magno.

Caput. XXV.

Eodem tempore ille famæ celebritate insignis Iulianus, cuius supra mentionem feci, & relinquere solitudinem, & Antiochiam venire coactus est. Nam cum Ariani, educati mendaciis, & ad calumnias contexendas valde parati, magnum illum virum suæ sectæ fauere constanter affirmarent, tria veritatis luminaria, Flavianus, Diodorus, & Aphraates, Acacium strenuum virtutis athletam, qui postea ecclesiam Berœensem valde sapienter gubernabat, Mittunt ad Iulianum, virum omni genere laudis præstantem, oratum, uti in infinitam hominum multitudinem misericordem se præbeat, aduersariorum de se confictum mendacium coarguat, doctrinam denique veritatis confirmet. Huius quidem miracula, quæ tum abeundo, tum reuertendo, tum denique in amplissima illa vrbe edidit, sunt à nobis in historia nostra, quæ Philotheos dicitur, literarum monumentis mandata: quam historiam, qui has res accuratè cognoscere desiderant, poterunt pro arbitratu perlegere. Quòd autem totam ciuitatis multitudinem ad conuentus nobiscum agendos conciliarit, neminè arbitror in dubium vocaturum, si modo humanam naturam
 NN 5 diligen-

THEODOR. HISTOR.

diligenter confyderet. Nam res admirabiles & præter oim opinionem, omnes ad se pertrahere solent. Atque quòd iste miracula planè eximia edidit, testes sunt illi ipsi veritatis aduersarii. Idem ipsum iam pridem temporibus Constantii, ab Antonio magno Alexandriæ factitatum est. Nam relicta solitudine, totam illam circuibat urbem, quò omnes doceret, tū Athanasium preconè veritatis, tū Arianos veritatis hostes esse. Itaque non ignorabant illi sancti viri, quæ res cuiq; temporì essent accommodatæ, & quâdo solitudinis orium esset amplectendum, quando rursus urbana negocia quieti solitaria præferenda.

Quinam alij monachi hoc tempore celebres existerint. CAP. XXVI.

ERant etiam eodem tempore alii vitæ monasticæ disciplina valde præstabiles. Nam in solitudine Chalcidensi Abitus, Martianus, Abraames, & alii præterea non pauci in corporibus perturbationibus obnoxii vitæ ab omni perturbatione vacuam traduxerunt. In Apamea item Agapetus, Symeones, Paulus, & alij in eo vitæ genere facile primas tulerunt. In solitudine porrò Zeugmatensi Publius & Paulus. In Cyrestensi quoque vir ab omnibus laudatus Acepsemas, se conclusit in cellulam, & eum vitæ modum sexaginta annos continuos transegit, neque visus à quoquam, neque cuiquam locutus. Adde his Zeugmatiû, virum cum primis admirabilè: qui tametsi luminibus orbatu erat, tamen circuibat sedulo, quòtum confirmaret oues, tum lupos dimicando profligaret. ob quam causam cellula eius monastica incensa fuit: alteram tamen Trajanus, dux fidelissimus, ei ædificauit, aliàsque res ad cultum vitæ necessarias impertiit. In solitudine etiam Antiochena, Marianus, Eusebius, Ammianus, Palladius, Symeones, Abraames, & alij quoq; qui imaginè dei ad cuius similitudinem cõditi erant, integrâ conseruarunt. Atq; tum horû, tum illorû vitâ scriptis prodidimus. Itèque mons, qui vrbi illi amplissimæ imminet, huiusmodi floribus pratensibus pulchrè vestitus est. Nam in eo cum magna nominis celebritate vixit Petrus Galata, & eius gen-
tilis

tilis Aegyptius : quinetiam Romanus, Seuerus, Zeno, Mo-
ses, Malchus, & alii quàm plurimi, vulgo quidem ignoti,
Deo autem penitus perspecti & cogniti.

De Didymo Alexandrino & Ephraim

Syro. CAP. XXVII.

PER idem tempus Edessæ vixit, vir planè diuinus Ephra-
im : Alexandria verò Didymus cum laude floruit.

Quorum vterque contra doctrinam veritati aduersa-
riam libros edidit. Atque Ephraim lingua vsus Syriaca, ea
eximium spiritalis gratiæ splendorem effudit. Nam & si
doctrinam Gentilium non degustauerat, multiplices ta-
men ac varios eorum errores refutauit, & cuiusque fraudis
hæreticæ imbecillitatem sub omnium aspectum subiecit ad
contemplandum. Quinetiam cū Harmonius Bardesafanis
filius, cantilenas quasdam iam olim composuisset, & im-
pietate cum suauitatem earum concentu permista aures permul-
sisset audientium, eosque in laqueos exitii induxisset, iste,
arrepto inde eodem concentus genere, pietatem cum eo
miscuit, atque audientibus medicinam tum iucundissimam
tum vtilissimam abhibuit. Istis cantilenis celebra mar-
tyrum inuictorum festa multò splendidiora fiunt. Didy-
mus autem à puero sensu orbatos oculorum, poeticam, Rhe-
thoricam, Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam, Aristo-
telis ratiocinandi modos, & eloquentiam Platonis, auri-
adiumento didicit : quibus artibus vsus est, non vt veri-
tatem inde hauriret, sed vt eam illis tanquam armis contra
mendacia defenderet. Porro sacra scriptura non literam
solum, sed sensus ac sententias accuratè perdidicit. Atque
inter eos qui monasticæ & seueræ viuendi disciplinæ, stu-
dioque virtutis operam nauarent, isti quos diximus, id tem-
poris præ cæteris excelluerunt.

*Quinam hoc tempore in Ponto & Asia episcopi
claruerint, & de his que à Valente de bello ad
Valentinianum magnum scripta sunt, & eius
responso, & de Terentij comitis pietate.*

CAPVT XXVIII.

Ex eorum

THEODOR. HISTOR.

EX eorum autem numero, Gregorius vterque, Nazianzenus & Nyssenus tulere principatum: quorum hic frater Basilij magni fuit, ille socius studiorum eius, & adiutor fuit. Isti in Cappadocia pro pietate dimicantes, facile primas obtinuerunt. In eiusdem cum illis laudis societatem venit Petrus: qui Basilij & Gregorij frater germanus fuit, quiq̄ue tametsi humaniore literatura non perinde vt illi, instructus erat, pio tamen viuendi genere admodum excelluit. Porro in Pisidia. Optimus, & Amphilo- chius in Lycaonia pro auita fide strenue decertates, aduer- sariorum impetus repulerunt. In Occidente item Damasus episcopus Romanus, & Ambrosius Mediolanensis episco- pus eos, qui tela in ecclesiam, longo interuallo interiecto, co- iecerant, contra seriebant. Quibus cum vna alii extremas orbis terre oras incolere coacti, scriptis tum suorum confirmaue- re animos, tum hostes profligauere. Nam rerum omnium gubernator Deus gubernatores tepestatis magnitudini pa- res dedit: & acerbæ hostium incursionis virtutem Ducum op- posuit: & medicamenta temporis iniquitati accommoda- ta & valde salubria tribuit. Atque non solum ad hunc mo- dum ecclesijs prouidit benignus dominus, verum etiam alijs quibusdam rationibus eas diligenter accurauit. Nam gen- tem Gothicam excitauit ad bellum, eo quidem Consilio, vti Valentem, qui contra pios solum praelio decertare didice- rat, in Bosphorum pertraheret. Itaque stultus ille tandem sua ipsius intellecta imbecillitate, literas scripsit ad fratrem, qui- bus exercitum ab eo postulauit. Ad quem rescripsit frater nefas esse homini bellum gerenti cum Deo opem ferre, cuius temeritas merito coercenda esset. Quo responso & si miser ille grauiter diuexatus erat, non tamen destitit ab au- dacia, sed perrexit ad aciem contra veritatem instruendam toto animo incumbere. Nam cum Terentius, dux longè præstantissimus, & pietatis insignibus egregie exornatus, ab Armenia, erectis victoriæ trophæis, reuertisset, Va- lensque ei imperasset, vti donum aliquod pro laboribus peteret, ipseque donum quod cupiebat, dignum homine pietatis institutis educato Valenti indicasset (petebat enim non aurum, non argentum, non agros, non domum, sed vt vna ecclesia illis, qui pro doctrina apostolica se in discrimine obtulisset, concederet)

Valens

Valēs accepto libello supplici, & cognitis rebus, quæ in eo cōtinebantur, admodū stomachatus, illum dilaceravit, iustitque vt alias res peteret. Terentius verò, collectis laceris libelli particulis, accepi, inquit, iam abs te, ò Imperator, donum, habeoque: neq; aliud petā. Nam quid ego animo iustituerim, iudicet ille, qui huius vniuersitatis iudex est.

De Traiani ductoris exercitus lingua libertate.
CAP. XXIX.

VAlens, vbi traiecto Bosphoro, venit in Thraciam, primū quoniam bellum vehementer extimescebat, longo tempore Constantinopoli ipse cōmoratus est: Traianumque ducem contra Barbaros misit cū exercitu. At postquā Traianus ab hostibus superatus reuertit, Valēs illū conuitijs valde lacerare, & mollitiem ignauiamque ei obijcere cœpit. At ille liberè, vt virum generosum decebat, nō ego, inquit, ò Imperator victus sum, sed tu ipse prodidisti victoriam, qui contra deum aciem instruere non desinis, & ita eius auxilium Barbaris concilias. Nā abs te oppugnatus, se illis adiungit. Atque deum semper sequitur victoria, & ad eos accedit, quibus deus se ducem præbet. Non nosti, inquit, quos viros ecclesiis expuleris, & quibus eas tradideris? Ista quidē ita se habere & Arintheus, & Victor, qui duces quoq; erant, ingenue confessi sunt: imperatoremque hortati, ne reprehensiones cum veritate cōiunctas iniquo animo ferret.

*De Isaacio monacho Constantinopolitano, & Britanionis Scythiæ episcopi in coar-
guendo austeritate.*
CAP. XXX.

FErunt Isaacē, qui in eo loco cellam habebat monasticā, vbi vidit Valentem cum exercitu egredi, contenta voce ei dixisse: Quo proficisceris, ò imperator, qui auxilio dei, quem contra bellū gesseris, prorsus destitutus es? Nam quoniā tu multorū linguas ad blasphemias aduersus eum loquendas acuisi, & pios laudibus illum celebrantes ecclesiis exturbasti, idcirco ille Barbaros aduersus te cōcitauit.

THEODOR. HISTOR.

tauit. Desine igitur tu bellum contra eum facere, & ipse bellum contra te commotum sedabit. Redde gregibus optimos pastores, & victoriam facile reportabis. Quod si his omnibus neglectis, bellum suscipias, rerum euentu experire, quàm durû sit contra stimulos calcitrare. Nam neq; ipse reuerteris, & exercitum præterea amittes. Cui admodum iratus imperator, reuertar, inquit, & te interficiam, falsęque prædictionis pœnas abs te repetam. Tum ille minas neutiquã veritus, clara voce, Eneca, inquit, si quid falsi me dixisse deprehenderis. Britannion quoque omni genere virtutis insigniter decoratus, totius Schytiaë episcopus, animo diuino pietatis amore accenso, pestiferam dogmatum Arianorum corruptelam, & iniqua facinora Valentis cõtra sanctos edita coarguit, & cû sanctissimo Dauide clamauit: Loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.

Psal. 118

De Valentis exercitu contra Gothos misso, ac quomodo Valens impietatis pœnas persoluerit. CAP. XXXI.

AT Valens, optimis illis consiliariis spretis, exercitum in expeditionem præmisit: illeque ipse in pago quodam commoratus, victoriam expectauit. Cæterum milites eius Barbarorum impetum haudquaquam sustinentes terga dant, inque fuga trucidantur: Nam Barbari eos cum celeritate fugientes, quantû poterant, persequebãtur. Atq; ad pagum, in quo Valens de clade suorum certior factus, latitare conabatur, accedentes, igni iniecto, illum ipsum pietatis aduersarium vnã cum pago cremarunt. Hoc modo igitur impius ille tyrannus etiam in hac vita pœnas pro sceleribus luit.

Quid causa fuerit quod Gotthi in Arianorum errorem inciderint.

CAP. XXXII.

HOc loco, quemadmodû Barbari pestifera erroris Aiani pernicie infecti fuerint, arbitror operapretiû his, qui eius rei ignari sunt, enucleatè explanare. Vbi Istro transmiss-

transmisso, cum Valente pacis fœdera iunxerant, eodem momento Eudoxius ille infamia notatus persuadet imperatori, vt Gotthos qui olim cum diuinæ cognitionis luce primùm illuminati essent, doctrina apostolica fuerant instituti, ad suam traducant communionem, Nam opinionis coniunctione & cōsensu pacem firmiorē fore dixit. Qua approbata sententia, Valens eorum ducibus hanc de doctrinæ consensione conditionem proponit. Qui responderunt se nullo modo velle auitam doctrinam deserere. Eodem tempore Vlphilas eorum fuit episcopus, cui facilè obsequebantur, eiusque verba pro ratis legibus habebant. Quem cum Eudoxius & verborū lenociniis deleniuisset, & pecuniæ inescasset illecebris, perfecit vt Barbaros illos ad communionem imperatoris amplectendam induceret. Adiecit præterea, quò facilius ei persuaderet, contentionem illam ex ambitione solum ortam, nullamque omnino doctrinæ esse differentiam. Itaque ad hodiernum diem Gotthi patrem maiorem esse filio dicunt illi quidem: sed filium creaturam appellari, licet cum his, qui illud dicant, communicent, nequaquam ferre possunt.

Quinetiam ab auita doctrina non penitus destiterunt. Etenim Vlphilas, cum eis communionem Eudoxii & Valentis persuadere conaretur, dixit nullam esse in doctrina discrepantiam, sed ex inani & leui contentione esse in ecclesiam discordiam inuectā fuisse.

QUARTI LIBRI FINIS.

SIT DEO GLORIA.

THEO.